SCRIBONII LARGI

CONPOSITIONES.

EDIDIT

GEORGIUS HELMREICH.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXVII.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

Scribonius Largus post expeditionem a Claudio Caesare in Britannos susceptam, cui se interfuisse ipse memoriae prodidit,[1] paulo ante[2] Messalinae[3] Claudii uxoris caedem, cum C. Iulius Callistus libertus ille principis potentissimus medicamentorum conpositiones quasdam ab eo petivisset, libellum conscripsit, in quem non solum quas ille desideraverat, verum etiam si quas alias in praesentia habuit expertas contulit[4] eique misit, cuius gratia et auctoritate omni tempore, praecipue vero illis ipsis diebus multum se adiutum esse grato animo fatetur.[5] Illarum conpositionum ipse conposuit plurimas,[6] paucas ab amicis, quibus aeque ac sibi credebat, acceptas adiecit, alias[7] ab Apuleio Celso Centuripis ex Siciliae urbe orto et Tryphone[8] praeceptoribus traditas habuit, alias e libris medicorum auctoritate praecellentium aut suae aut superioris

1) c. CLXIII: *cum Britanniam peteremus cum deo nostro Caesare.*

2) hac de re conferas velim *Buechelerum* copiose et subtiliter disputantem in musei rhen. vol. XXXVII, p. 321 sq.

3) cuius vivae mentionem inicit c. LX: *nam Messalina dei nostri Caesaris hoc* (dentifricio) *utitur.*

4) epist. ad Call. p. 5 huius edit.

5) l. l.

6) c. CCLXXI.

7) c. LXXXXIIII. CLXXI. CLXXV. CCI. CCIII. CCV. CCX. CCXXXI. CCXL.

8) hunc et Euelpistum et Megetem in celeberrimorum aetatis suae chirurgorum numerum Celsus refert et quibusdam in melius mutatis aliquantum ei parti medicinae, quae manu curet, adiecisse dicit p. 263 D.

aetatis, Andronis (c. LXIII), Aristi chirurgi (c. CCVIIII), Iulii Bassi[1]) (c. CXXI), Cassii[2]) (c. CXX. CLXXVI), Dionysii chirurgi (c. CCXII), Euelpisti chirurgi (c. CCXV), Glyconis chirurgi (c. CCVI), Marciani (c. CLXXVII), Megetis chirurgi (c. CCII. CCXXXVIIII), Musae Antonii[3]) (c. CX), Paccii Antiochi (c. LXXXXVII. CLVI. CCXX), Thraseae chirurgi (c. CCIIII. CCVIII), Zopyri (c. CLXVIIII) deprompsit. Sed etiam hominibus a disciplina medicinae longe semotis, qui ex usu prospere datorum medicamentorum magnam famam tulerant, ut secum illa communicarent, pretio quod desideraverant dato persuasit, veluti colicam, qua muliercula quaedam Afra[4]) Romae multos sanaverat, et remedium ad canis rabiosi morsum, quo barbarum quendam in insula Creta uti audiverat, pro magno munere accepit.[5])

Latine scripsisse Scribonium, non Graece, ut Cornarius[6]) statuit, hunc librum ab ipso auctore Graece scriptum Valentiniani imperatoris temporibus ab interprete quodam in Latinum translatum esse ratus, hodie nemo negabit, qui dicendi genus paulo diligentius examinaverit. Quod quamquam a Cornelii Celsi aetate paulo superioris elegantia multum distat, nihil tamen habet, quod ab illius saeculi medico, quippe qui rerum cognitioni quam verborum ornatui plus dederit operae, omnino sit alienum, atque ea vocabula et dictiones, quae cum ab eleganti sermonis Latini consuetudine abhorreant apud meliores eiusdem aetatis scriptores non reperiuntur, cotidiani atque plebei sermonis esse non difficile est demonstare.[7])

1) cuius libris, qui περὶ ὕλης inscribebantur, Plinius et Dioscorides usi sunt.
2) quem Celsus ingeniosissimum saeculi sui medicum laudat p. 11, 37 D.
3) cf. Dio Cass. LIII, 30. Suet. Aug. 59.
4) cf. c. CXXII.
5) cf. c. CLXXI. CLXXII.
6) praefat. ad Marcelli librum de medicamentis p. 8.
7) Exempla sunt haec: ubi *ex transverso* gingiva suppuravit (LXI), multis haec calamitas *ex transverso* accidit (CCXXXI),

Libri de quo quaerimus emendatius edendi consilium inii, quod qui novissime, scilicet ante centum annos, eum ediderat, I. M. Bernholdum (Argentorati 1786) nihil aliud egisse vidi quam ut editionis principis textum omni vitiorum genere infectum iterum typis exprimendum curaret. Mox autem cognovi difficultates non parvas ei qui huius medici textum recogniturus esset superandas esse; liber enim manu scriptus, cuius ad fidem Scribonii verba exigi possint, hodie extare videtur nullus. Quo enim usus est Ruellius, qui primus Scribonium anno p. Chr. MDXXVIII Parisiis edidit,[1]) is aut periit aut nondum investigari potuit, quamquam cum alii tum Albertus Koehler Norimbergensis collega doctissimus itinere per Italiam suscepto multum elaboravit, ut codicem si qui superesset bibliothecarum latebris abditus nancisceretur.

Quae cum ita sint, ad emendanda Scribonii verba magno nobis usui est Marcellus qui vocatur empiricus, qui cum Theodosio II. imperante *de medicamentis empiricis, plysicis ac rationabilibus* librum ex variis auctoribus componeret, Scribonii conpositionum multo maiorem

et numquam ulli *se vivo* conpositionem eius dedit (LXXXXIIII), ne hic quidem ulli *se vivo* conpositionem dedit (LXXXXVII), in *processa aetate* (C), *infinita* celeritate (CCXXI), infinitus dolor (CLXXXX. CLXXXXIIII. CLXXXXVIII), libertus *supra* hereditates (CLXII), pondo *dua* (LXXXI *et saepius*), *totum in eo est,* ut (CCXXVII), *erumpit se* e naribus sanguis (XLVI), *facit* sudores frigidos *manare* (CLXXX), ephemeron protinus totum os *prurire facit* (CLXXXXIII), globuli qui *efficiunt* mane *deici* quod satis sit (CXXXVIIII), *devirginatio* (XVIII), *complexus* (sc. venereus) *ib.,* hoc *cum eo quod* candidos facit dentes, *tum* etiam confirmat (LX), *sincere* corpus (CXIII), *sincere* elaterium (CCXXIIII), medicamentum *austere* (LVII), gustus *auster* (CLXXXVIII), *remediatio* (XI), et *remediare* vocabulum, quo saepissime usus est, cum apud Celsum reperiatur nusquam.

1) ab editione principe omnino nihil differt *Basileensis* Cratandri, quae eodem anno prodiit, neque *Aldus* aut *Stephanus,* quorum alter *medicos antiquos omnes* Venetiis a. MDXLVII, alter *medicae artis principes* exceptis Hippocrate et Galeno a. MDLXVII edidit, quidquam nisi levissima mutaverunt.

partem in volumen suum transtulit auctoris[1]) cuius essent nomine celato. Quod quamquam iam pridem multi animadverterant veluti Ioannes Rhodius, qui Scribonium notis amplissimis illustratum verborum indice adiecto edidit Patavii a. MDCLV, nemo tamen adhuc comparatione Scribonii cum Marcello diligenter instituta quaesivit, quantum utilitatis ad Scribonii textum restituendum inde redundaret.

Ego vero cum hunc scriptorem et ob sermonis proprietatem quandam et ob rerum quas tradidit memorabilium copiam non indignum iudicassem, qui mendis sublatis quam plurimis in pristinam quod eius fieri posset integritatem restitutus philologis et medicis antiquitatis studiosis proponeretur, non satis habui Marcelli textum, qualis in editione a Iano Cornario Basileae anno p. Chr. MDXXXVI facta vulgo circumfertur, comparare, sed etiam eius codicem *Laudunensem*[2]) optimae notae saeculo nono vel decimo diligentissime exaratum examinavi et excussi sperans eius ope me corruptos Scribonii locos sanare posse. Quae spes me non prorsus fefellit. Eo enim codice, etsi non integer ad nostram pervenit aetatem — amissis enim pluribus quaternionibus haec Scribonii capitula in eo desiderantur: XXV. XXVI. XXVIII. XXXVI. XXXVII. LXXXXVII — CX. CXXVIII — CXXXII. CLVIII — CLX. CCXXXII — CCXXXIIII. CCXLV. CCLVIIII. CCLXI. CCLXIII. CCLXIIII. CCLXVII — CCLXXI, quae in Cornariana Marcelli editione non desunt[3]) — plurimis locis, ut postea apparebit, verae scriptoris manus restituendae copia mihi facta est.

Sed nihilo minus vitia satis multa me aut non detexisse aut quemadmodum emendarem nescium intacta

1) Quae ratio inter Scribonium et Marcellum intercedat, pluribus disserui verbis in vol. XVIII p. 385 annalium qui inscribuntur Blätter für das Bayer. Gymnasialschulwesen.

2) de hoc codice disputavit Valentinus Rose in Hermae vol. VIII p. 30 sq.

3) at capitula CXVI — CXX, quae apud Cornarium desiderantur, extant in codice Laudunensi.

reliquisse ingenue fateor; itaque opto, ut tandem aut Ruellii codex iterum aut si quis alius vetustior et integrior aetatem tulit in medium proferatur. Quo facto eam quoque quaestionem profligatum iri spero, quae me multum diuque torsit deliberantem, utrum Scribonius hunc librum *de conpositionibus medicamentorum* an, quod mihi placuit, *conpositiones* inscripserit. Illam enim inscriptionem, quae in fronte editionis principis legitur, a Ruellio, non ab ipso auctore profectam esse putaverim, qui quin potius *de conpositione medicamentorum*, ut Aldus eumque secutus Stephanus suo Marte emendaverunt, scripturus fuerit, equidem non dubito, sicuti Galenum libros decem *περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους* et septem *περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ γένη* inscripsisse constat. Qua de causa mihi verisimilius esse visum est alteram inscriptionem, quae in editionis principis fol. I capitulo primo praescripta est, ipsius esse Scribonii.

His expositis restat, ut viris, qui me in hac editione adornanda et re et consilio multum adiuverunt, gratias agam publicas, Eduardo Woelfflin, qui C. G. Kuehnii programmata academica tria mecum communicavit, quibus Ottonis Sperlingii in Scribonium Largum animadversiones aliquot publicatae sunt, Karolo Ernesto Georges, cuius benignitati debeo editionis Rhodianae exemplar, quod quondam C. A. Boettigeri fuit, cuius in margine emendationes nonnullas ab hoc viro adscriptas repperi, Iwano Mueller praeceptori dilectissimo, quem in plagulis corrigendis adiutorem habui diligentissimum.

Scribebam Augustae Vindelicorum
a. d. IV id. Iun. MDCCCLXXXVII.

Georgius Helmreich.

Index notarum.

R = editio princeps Ruellii.
L = Marcelli codex Laudunensis 420.
M = Marcellus sive consensus codicis Laudunensis cum Marcelli textu a Cornario edito exceptis iis locis qui in codice hodie desiderantur.
Rhod. = Rhodius.
⟨ ⟩ inclusi quae praeter editionis principis fidem addenda censui.
[ ] notavi quae delenda sunt.

Signa ponderum medicinalium.

X̶ = denarius.
p. X̶ = pondus denarii.
— = uncia.
Z = sextans.
Э = scripulum.
S = semis.

SCRIBONIUS LARGUS C. IULIO CALLISTO SUO S.

Inter maximos quondam habitus medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse medicamenta divinas manus esse, et id quidem non sine ratione, ut mea fert opinio: prorsus enim quod tactus divinus efficere potest, id praestant medicamenta usu experientiaque probata. Animadvertimus itaque saepe inter deliberationes contentionesque medicorum auctoritate praecellentium, dum quaereretur, quidnam faciendum aut qua ratione succurrendum esset aegro, quosdam humiles quidem et alioquin ignotos, usu vero peritiores, vel — quod fateri pudet — longe summotos a disciplina medicinae ac ne adfines quidem eius professioni medicamento efficaci dato protinus velut praesenti numine omni dolore periculoque liberasse aegrum. Quamobrem spernendi sunt, qui medicinam spoliare temptant usu medicamentorum, non a medendo, sed a potentia effectuque medicamentorum ita appellatam, probandi autem, qui omni modo succurrere periclitantibus student. Ego certe aliquotiens magnum scientiae consecutus sum titulum ex usu prospere datorum medicamentorum multosque ex eadem causa non mediocrem gloriam tulisse memini.

Cornelius celsus g. iul. Callisto salutem dicit *L.*
2 G. iuli callistae *L.* divinas manus *Rhod.*: divinum munus *R* deorum immortalium manus *M*; *cf. Gal. vol.* XII, *p.* 966 *K*: *οἷόνπερ θεῶν χεῖρας εἶναι τὰ φάρμακα.* 7 praecedentium *M.* dum] cum *Boettiger; sed cf. E. Hoffmann, die Construction der lat. Zeitpartikeln* p. 171. quaeritur *M.* 8 sit *M.* 9 alioqui *L.* 10 vel *M*: et *R.* semotos *Ronsseus.* 12 professioni *M*: professionis *R.* 14 *post* sunt *add.* quidem *M.* temptant *L plerumque*: tentant *R.* 18 aliquotiens *L*: aliquoties *R.*

Est enim haec pars medicinae ut maxime necessaria, ita certe antiquissima et ob hoc primum celebrata atque inlustrata, siquidem verum est antiquos herbis ac radicibus earum corporis vitia curasse, quia timidum genus mortalium inter initia non facile se ferro ⟨ignique⟩ committebat. Quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes, et nisi magna conpulsi necessitate speque ipsius salutis non patiuntur sibi fieri, quae sane vix sunt toleranda. Cur ergo aliqui excludant medicinam usu medicamentorum, non invenio, nisi ut detegant inprudentiam suam. Sive enim nullum experimentum eius generis remediorum habent, merito accusandi sunt, quod tam neglegentes in tam necessaria parte ⟨artis⟩ fuerint, sive experti quidem sunt eorum utilitatem, denegant autem usum, magis culpandi sunt, quia crimine invidentiae flagrant, quod malum cum omnibus animantibus invisum esse debet, tum praecipue medicis, in quibus nisi plenus misericordiae et humanitatis animus est secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus diis et hominibus invisi esse debent. Idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinae legitime est obligatus; sed persequetur eos, cum res postulaverit, ut miles et civis bonus omni modo, quia medicina non fortuna neque personis homines aestimat, verum aequaliter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur nullique umquam nocituram profitetur.

Hippocrates, conditor nostrae professionis, initia disciplinae ab iureiurando tradidit, in quo sanctum est, ne praegnati quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur aut demonstretur a quoquam medico, longe praeformans animos discentium ad humanitatem. Qui enim

2 inlustrata *L*: ill. *R*. 4 timidum *M*: etiamtunc *R*. 5 ignique *om. R, addidi e M*. 7 conpulsi *L*: comp. *R*. 8 sanis *Cornarius*. 9 usu *Boettiger*: et usum *R* de usu *M*. 10 inprudentiam *L*: impr. *R*. 13 artis *om. R, addidi e M*. 15 quia *M*: qui *R*. 16 debeat esse *M*. 17 in *om. L*. 25 umquam *L*: unquam *R*. 29 pregnati *L*: praegnanti *R*.

nefas existimaverit spem dubiam hominis laedere, quanto scelestius perfecto iam nocere iudicabit? Magni ergo aestimavit nomen decusque medicinae conservare pio sanctoque animo quemque secundum ipsius propositum se gerentem: scientia enim sanandi, non nocendi est medicina. Quae nisi omni parte sua plene incumbat in auxilia laborantium, non praestat quam pollicetur hominibus misericordiam. Desinant ergo, qui prodesse adflictis aut nolunt aut non possunt, alios quoque deterrere negando aegris auxilia, quae per vim medicamentorum frequenter exhibentur. Etenim quasi per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit. Nam primum cibis ratione aptoque tempore datis temptat prodesse languentibus; deinde si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum decurrit vim: potentiora enim haec et efficaciora quam cibi. Post ubi ne ad haec quidem cedunt difficultates adversae valetudinis, tunc coacta ad sectionem vel ultimo ad ustionem devenit. At Asclepiades, maximus auctor medicinae, negavit aegris danda medicamenta: quidam enim hoc mendacio etiam pro argumento utuntur. Poteram tamen, si verum id esset, dicere: Viderit Asclepiades, quid senserit; forsan non omnino in hanc partem animum intendit. Homo fuit, parum feliciter se in hoc negotio gessit. Non deterreor persona, cum rem tam manifeste prodesse videam. Nunc vero cum tam inpudenter comminiscantur de eo, quid possum ultra dicere nisi genere quodam parricidium ac sacrilegium eos committere, qui haec dicunt? Ille enim febricitantibus vitiisque praecipitibus correptis, quae *ὀξέα πάθη* Graeci dicunt, negavit medicamenta danda, quia cibo vinoque apte interdum dato remediari tutius eos existimavit. Ceterum in libro, qui *παρασκευῶν*, id est praepa-

2 perfecto iam *M*: perfecte iam nato *R*; *cf. Graecorum vocem τέλειος*. 9 alios quoque deterrere *M*: aliosque deterrent *R*. 16 valitudinis *L*. 18 venit *M*. 21 Viderit *L*, *manu autem recentiore* t *littera erasa est*. 22 forsitan *M*. 25 inpudenter *L*: imp. *R*. 28 *ὀξῆ* *R* hoxyepathe *L*. 31 quae parasceuon *L*: qui *παρασκευαστικῶν* *R*; *cf. Cael. Aur.*

rationum inscribitur, contendit ultimae sortis esse medicum, qui non ad singula quaeque vitia binas ternasve conpositiones expertas et protinus paratas habeat. Vides ergo, quam non placeat Asclepiadi usus medicamentorum, cui nisi plura quis ad quodque genus vitii medicamenta conposita habeat, non videtur dignus professione medicinae? Sed ista licentia nomine tantummodo medicorum propter quorundam neglegentiam latius processit. Raro enim aliquis priusquam se suosque tradat medico, diligenter de eo iudicat, cum interim nemo ne imaginem quidem suam committat pingendam nisi probato prius artifici per quaedam experimenta atque ita electo. Habent itaque omnes pondera atque mensuras exactas, ne quid erroris in rebus non necessariis accidat: videlicet quia sunt quidam, qui pluris omnia quam se ipsos aestimant. Itaque sublata est studendi cuique necessitas et non solum antiquos auctores, per quos consummatur professio, quidam ignorant, sed etiam comminisci falsa de iis audent. Ubi enim delectus non est personarum, sed eodem numero malus bonusque habetur, ⟨disciplinae ac sectae observatio perit⟩ quodque sine labore potest contingere idemque dignitatis utilitatisque praestare videtur posse, unus quisque id magis sequitur. Sic ut quisque volet, faciet medicinam. Quosdam enim a perverso proposito nemo potest movere et sane omnibus permisit liberum arbitrium magnitudo professionis. Multos itaque animadvertimus unius partis sanandi scientia medici plenum nomen consecutos.

Nos vero ab initio rectam viam secuti nihil prius

chron. II, 13, 186: Asclepiades ad ipsum scribens libros parasceuasticos. 2 conpositiones *L plerumque*: comp. *R.* 3 expertas et protinus *scripsi*: et expertas protinus *R* et exp. et pr. *M.* 10 interim *om. M.* 11 artifici *M*: artifice *R.* 12 habeantque *pro* habent itaque *L.* omnes, *non* omnia *praestat L.* 14 non *om. M.* 15 alia *pro* omnia *M.* aestiment *M.* 18 de iis *scripsi*: diis (h *littera superscripta*) *L* de his *R.* 20 disciplinae ac sectae observatio perit *om. R, addidi e M.* quodque *M*: quod *R.* 22 id unusquisque *M.* 26 sanandae *Rhod.*

totius artis perceptione, qua homini permittitur, iudicavimus, quia ex hac omnia commoda nos consecuturos existimabamus, non medius fidius tam ducti pecuniae aut gloriae cupiditate quam ipsius artis scientia. Magnum enim et supra hominis naturam duximus posse aliquem tueri vel reciperare suam et unius cuiusque bonam valetudinem. Itaque ut ceteris partibus disciplinae, ita huic quoque, quae per medicamenta virtutem suam exhibet, curiose institimus, eo magis quod percipiebamus in dies ex usu profectus eius, quos interdum supra fidem atque opinionem plurimorum exhibebamus. Sed quid ultra opus est probare necessarium usum esse medicamentorum, praecipue tibi, qui quia percepisti utilitatem eorum, idcirco a me conpositiones quasdam petisti? Ego autem memor humanitatis tuae candorisque animi tui, quem omnibus quidem hominibus plene, mihi autem etiam peculiariter praestas, non solum quas desiderasti, verum etiam si quas alias expertas in praesenti habui, in hunc librum contuli. Cupio enim medius fidius, qua possum, tuae in me tam perseveranti benevolentiae respondere adiutus omni tempore a te, praecipue vero his diebus. Ut primum enim potuisti, non es passus cessare tuae erga me pietatis officium tradendo scripta mea latina medicinalia deo nostro Caesari, quorum potestatem tibi feceram, ut ipse prior legeres simpliciterque indicares mihi, quid sentires: plurimum enim iudicio tuo tribuo. Tu porro candidissimo animo et erga me benevolentissimo diligentiam meam sub tanti nominis editione non verbis, sed re probasti periculumque non minus tu iudicii quam ego stili propter me adisti, quo tempore divinis manibus laudando consecrasti. Fateor itaque libenter unicas me tibi gratias agere, quod et prius

1 qua *Rhod.*: quã *L* quae *R*. 4 scientiae *Cornarius*. 5 vel *M*: et *R*. 6 reciperare L^1: recuperare L^2R. valitudinem L^2 valet. L^1. 14 petisti *L*: petiisti *R*. 16 plenissime *M*. 20 benivolentiae *LR*. 21 istis *pro* his *M*. 25 *post* sentires *add.* de his *M*. 27 benivolentissimo *L*. diligentiam meam *om.* *M*. 29 tu *Buecheler*: tui *RM*.

quam rogareris consummasti amicissimo adfectu vota mea ⟨et⟩ quod contigit mihi favore plenissimo tuo maturiorem percipere studii huius mei fructum ac voluptatem. Ignosces autem, si paucae visae tibi fuerint conpositiones et non ad omnia vitia scriptae: sumus enim, ut scis, peregre nec sequitur nos nisi necessarius admodum numerus libellorum. Postea tamen, si et tibi videbitur, ad singula quaeque vitia plures conpositiones colligemus. Oportet enim copiam quoque earum selectam habere, quoniam revera quaedam quibusdam magis et non omnes omnibus conveniunt propter differentiam scilicet corporum. Quarum initium a capite faciemus, summum enim et primum locum hoc obtinet, dantes operam, ut simplicia prima ponamus: interdum enim haec efficaciora sunt quam ex pluribus conposita medicamenta. Erit autem nota denarii pro Graeca drachma: aeque enim in libram X octoginta quattuor apud nos, quot drachmae apud Graecos incurrunt. Primum ergo ad quae vitia conpositiones exquisitae et aptae sint, subiecimus et numeris notavimus, quo facilius quod quaeretur inveniatur; deinde medicamentorum, quibus conpositiones constant, nomina et pondera vitiis subiunximus.

2 et quod *M*: quod *R* quo *Rhod.* 3 ignosce *littera* s *erasa L.* 7 tamen] autem *Cornarius.* 8 vitia *om. M.* 11 *post* corporum *inseruit Cornarius* et affectionum. 12 quasi *add. M ante* primum. 13 simplicia remedia *M.* prima *scripsi*: primo *R* prima quaeque *M.* 15 denarii *M*: denarii unius *R.* 16 libram *scripsi*: libra *R.* X *Hultsch*: X denarii *R.* 17 *verba* primum ergo *usque ad* subiunximus *om. M.*

Scribonii Largi conpositiones.

I. Ad capitis dolorem etiam in febre primis diebus bene facit serpulli pondo quadrans, rosae aridae pondo quadrans. Haec incoquuntur duobus sextariis aceti acerrimi, donec ad dimidias perducantur. Inde sumitur cyathus et duobus rosae commiscetur frequenterque ex eo curatur caput: ubi enim concaluit quod infusum est, nisi aliud recens adiciatur, nocet.

II. Item prodest eodem modo ruta per se vel cum hederae bacis decocta. Polygonium quoque et menta multis profuit eadem ratione decocta et infusa capiti dolenti. ⟨Item levat capitis dolorem⟩ sphondylion et agni semen et platani pilulae similiter aceto incoctae rosaeque folia residuo aceto commixta.

III. Cum autem pluribus diebus permanserit dolor, tum omnium supra dictorum oportet uncias singulas sumere iisque admiscere lauri bacarum, castorei, nucum amararum, pulei, sampsuci foliorum, singulorum unciam et in aceti sextariis tribus decoquere ad dimidias ⟨et⟩ eodem modo rosa admixta, non tamen frequenter, caput curare.

IIII. Ad omnem capitis dolorem efficaciter prodest crocomagmatis pondo sextans, aluminis fissi vel gallae pondo uncia. Haec terere ex aceto et rosa vicibus adiecta oportet,

1 febri *M.* 2 serpulli *L*: serpylli *R.* 5 duobus *Rhod.*: in duobus *R* duobus rosae cyathis *Cornarius.* 6 incaluit *M.* 9 bacis *L semper*: baccis *R.* polygonos *M.* 10 eadem *M*: ea *R.* 11 Item levat capitis dolorem *addidi M secutus, qui praebet*: Dolorem capitis levat; *cf. c.* 53 item levat aeque dolorem dentium. sfondilion *L* spondylion *Cornarius.* hyagni *L.* 16 hisque *L.* 17 pulei *L*: pulegii *R.* sabuci *L.* unciam *scripsi*: uncias *R* uncias singulas *M.* in aceti sextariis tribus *scripsi M secutus*: aceti sextarios tres *R.* 18 et *addidi e M.*

usque dum mellis habeant spissitudinem, inde frontem et utraque tempora oblinere.

V. Ad capitis dolorem, cum inveteraverit, bene facit haec conpositio: Murrae p. 𐆖 I, croci p. 𐆖 II, amygdalorum amarorum p. 𐆖 II, rutae viridis p. 𐆖 III, sphondylii p. 𐆖 I, panacis p. 𐆖 I, laurus bacarum p. 𐆖 III, serpulli p. 𐆖 II, castorei p. 𐆖 I. Teruntur haec omnia aceto et fiunt pastilli; cum opus est, diluuntur aceto et rosa in mellis spissitudinem atque ita frons et tempora inlinuntur.

VI. Oportet vero permanente capitis dolore materiam quoque detrahere ex eo per nares vel os. Quae res etiam auriculae vel dentibus dolentibus prodest nec minus quibus subitae vertigines obversantur, quos σκοτωματικοὺς Graeci dicunt; item comitiali morbo correptos et caligine inpeditos ex magna parte levat. Debent autem ii omnes pridie abstinere et superioribus diebus aquam potare.

VII. Per nares ergo purgatur caput his rebus infusis per cornu, quod rhinenchytes vocatur: Hederae suco per se vel betae suco cum exiguo flore aeris vel cyclamini suco mixto lacte aut aqua pari mensura.

VIII. Bene detrahit e naribus liquorem et haec conpositio: Salis, nitri, mellis, aceti, olei veteris, singulorum p. 𐆖 binum, cyclamini suci, σταφίδος ἀγρίας, quam herbam pediculariam, quod pediculos necat, quidam appellant, singulorum p. 𐆖 I. Haec in unum mixta naribus per cornu infunduntur vel pinna longiore nares interius perfricantur. Cum satis visum fuerit fluxisse, ut reprimatur, aqua frigida nares diutius abluere pura oportet vel ea, in qua pridie crocum adiectum maceratum fuerit.

1 habeant *M*: habeat *R*. 4 Murrhae *R hic, ceteris locis* myrrha; *ego ubique scripsi* murra. amigdalarum *L omisso* amararum *vocabulo*. 5 sfondylii *L*. 6 lauri *M*. serpulli *L*: serpylli *R*. 9 oblinuntur *M*. 11 vel per os *M*. 12 auriculam vel dentem dolentibus *M*, *sed cf. Plin. de re medic.* I, 2 *ed. Rom.* 13 scutomaticos *L*. 14 cumiciale *L*. 15 inpeditos *L*: imp. *R*. 17 his *M*: iis *R*. 18 rhinecytes *L*. suco *L semper*: succo *R*. 23 staphidos agrias *L*. 24 peduclariam *L*. 26 cornu *M*: cornum *R*. 28 pura *post* fri-

VIIII. Sed si per os magis detrahere materiam visum fuerit, quia non sine tormento per nares ea deduceretur, suadebimus pyrethri radiculam commanducare atque subinde hiantem pati fluere salivam, vel uvam passam cum piperis albi granis totidem dabimus commanducandam et expuendam: aeque enim et haec deducunt pituitam. Bene facit et sinapi ex aceto tritum et non excastratum gargarizatum trium cyathorum mensura admixto mellis pondo quadrante: detrahit enim largiter pituitam.

X. Prodest, cum diu caput dolet, adtondere ad cutem et radere et diutius siccum ad relaxationem cutis fricare et aqua calida fovere pura vel laurum incoctam habente. Quo tempore etiam sternutamentum concitare non alienum erit medicamento, quod ex his rebus conponitur: Veratri albi, castorei, struthii, quod est radix lanaria, piperis albi, singulorum p. X I. Haec contusa tenuiter forato cribro transmittuntur; cum opus fuerit, per pinnam vel calamum scriptorium naribus insufflentur vel specillo tincto in aqua et excusso tacta naribus iniciantur. Proritat sternutamentum etiam per se contusum et eadem ratione iniectum veratrum album. Nigrum siccum et aridum sternutationem statim invitat.

XI. Capitis dolorem quamvis veterem et intolerabilem protinus tollit et in perpetuum remediat torpedo nigra viva inposita eo loco, qui in dolore est, donec desinat dolor et obstupescat ea pars. Quod cum primum senserit, removeatur remedium, ne sensus auferatur eius partis. Plures autem parandae sunt eius generis torpedines, quia nonnumquam vix ad duas tresve respondet curatio, id est torpor, quod signum est remediationis.

gida *collocatum habet M.* 3 pyretri *L.* conmanducare *L.* 7 senapi *L.* gargarizare *M.* 15 castorei] *cf. Gal.* XII, 583. 17 transmittantur *M.* 18 insufflentur *M*: sufflentur *R.* 19 aqua *M*: aquam *R.* 23 quamvis *M*: quemvis *R.* 24 nigra viva *M*: viva nigra *R.* 25 ei loco *M.* 26 obtorpescat *M*, *sed cf. Plin. nat. hist.* 36, 56: obstupescit ita corpus nec sentit cruciatus. 28 turpedines *L.*

XII. Ad comitialem morbum, quem Graeci ἐπιληψίαν vocant, herbam, quam iidem πολύνευρον, nos nervalem appellamus, oportet ieiunum quam plurimam viridem comesse a prima luna ad tricesimam. Haec eadem herba ebrio data copiosa in crapula vinum discutit mentemque restituit.

XIII. Item hinnulei cervi coagulum intra novem dies exceptum bene facit ad morbum comitialem. Intellegitur autem dierum numerus ex eo, quod iacent aures hinnuleorum primis temporibus: a nono enim die subriguntur. Oportet ergo sumere tunc coagulum et arefacere, quo neque sol neque luna accedit, atque inde dare pueris viciae magnitudinis globulum ex aquae caldae cyathis duobus, maioribus vero natu fabae solidae magnitudine ex aquae caldae cyathis tribus per dies triginta. Dentur autem aquae purae super medicamentum cyathi duo aut tres. Hoc remedium qui monstravit, dixit ad rem pertinere occidi hinnulum cultro, quo gladiator iugulatus sit.

XIIII. Constat inter plures et crocodili testiculum pondere X I aut victoriati per dies triginta ex aquae cyathis tribus sumptum multos remediasse.

XV. Ad recentem comitialem morbum cito proficit, ad veterem tardius: Thymi albi p. X III ex aceti cyathis tribus et mellis boni pondo uncia; ut dilutum ieiunus bibat per dies quadraginta quinque. Sed cum biberit, citatus ambulet milia passuum minime duo.

XVI. Scio Romae quandam honestam matronam aliquot comitiali morbo liberasse hoc medicamento: Eboreae scobis hemina, mellis Attici pondo libra, haec in unum miscentur; postea adicitur, si puer fuerit qui laborat, testudinis masculae, palumbi masculi, utrorumque ferorum, id est nuper captorum, sanguis, quantum fluxerit, dum viva utraque animalia dimittantur: sin autem puella fuerit,

3 plurimam *scripsi*: plurimum *R.* 7 hinulei *R.* 9 hinnuleorum *N. Heinsius*: simul eorum *R.* 15 Dentur] Donentur *Aldus errore typothetae.* 16 super *scripsi*: supra *R.* 20 pondere *scripsi*: p^{o}. *R.* 23 tymi *R.* 26 duo *Rhod.*: duum *R.*

feminei generis animalia sint et eodem modo capta sanguine effuso emittantur. Oportet autem clavum Cyprii aeris acutum demittere in iugulum testudinis et palumbi venas, quae sub alis sunt, aere acuto incidere. Hoc medicamentum ligneo vase servatum reponitur. Cum opus fuerit, dantur ex eo luna decrescente per continuos dies triginta primum coclearia tria, deinde quinque, deinde septem, deinde novem, summum undecim, et rursus novem, deinde septem, deinde quinque, postea tria et iterum augetur minuiturque numerus cocleariorum, donec dies triginta ante dicti consumantur. Postea oportebit scobis eboreae heminam per duos menses consumere vitio correptum, accipientem ex ea terna coclearia in die ex aquae cyathis tribus. Hoc medicamento qui utitur, neque vinum neque suillam gustet; praeterea habeat in brachio verua eborea. Nam sunt et qui sanguinem ex vena sua missum bibant aut de calvaria defuncti terna coclearia sumant per dies triginta.

XVII. Item ex iecinore gladiatoris iugulati particulam aliquam novies datam consumant. ⟨Hoc⟩ quaeque eiusdem generis sunt, extra medicinae professionem cadunt, quamvis profuisse quibusdam visa sint.

XVIII. Illud tamen non oportet ignorare sanari hoc vitium, cum cognitum est, aliquibus: viros facilius mulieribus remediari, pueros vel virgines liberari post complexum et devirginationem.

XVIIII. Ad conturbationes et epiphoras oculorum scio multa collyria, tametsi tarde, magnos tamen effectus habere; sed nulli collyriorum tantum tribuo, quantum lycio Indico vero per se. Hoc enim inter initia si quis ut collyrio inunguatur, protinus, id est eodem die, et dolore praesenti et futuro tumore liberabitur. Supervacuum est autem

6 dantur *Rhod.*: datur *R.* 15 verua] virias *vel* viriolas *Rhod.* 20 Hoc *addidi*; *cf. c.* 104 haec enim et huiusmodi quae sunt. 22 sint *scripsi*: sunt *R.* 30 vero] ue *L* vel *Cornarius.* ut *M*: hoc *R.* 31 inungeatur *L.* id est eodem die *om. M.*

nunc laudes eius referre: in aliis enim expertus intelleges
xx simplicis rei vix credendos effectus. Oportet vero minime quater quinquiesve ex intervallo inunguere, deinde cum combiberint oculi ad singulas inunctiones, ex aqua quam poterint sustinere calidissima spongeis expressis vaporare eos diutius eodemque die in balineum ducere, ita ut cum cetero corpore caput quoque et facies calida inmergatur et foveatur, vinoque uti, ut quisque adsuetus est; postero die si qua vestigia epiphorae remanserint, inunguere collyrio aliquo acriore aquato sub vespere et rursus in balneum deducere et vinum dare eodem modo. Fere enim uno die tollit epiphoram et praecipue incipientem neque adhuc alio medicamento tactam. Sed si ea vis fuerit epiphorae, ut non cedat uno die, expectare oportebit, donec inpetus sedetur, et ita in balneum deducere ceteraque facere, quae praecepimus. Idem hoc medicamentum etiam supra perunctum tardius quidem, sed eosdem effectus praestat, maxime in teneris corporibus, ut mulierum et puerorum, quorum oculi nullius medicamenti vim sustinent. Triduo enim aut plerumque quadriduo tollit dolorem adiutum ovi infusione et aquae calidae vapore.

XXI. Item conpositorum collyriorum hoc maxime probo ad recentes epiphoras et conturbationes oculorum tumoresque et dolores: Aloes Indicae p. 𐆖 IIII, croci p. 𐆖 II, opii p. 𐆖 I, commis p. 𐆖 IIII, plantaginis suci cyathos tres. Terere oportet per se crocum diligenter, deinde cetera admiscere pridie macerata suci plantaginis cyatho atque ita reliquis duobus cyathis admixtis, cum spissata fuerint, fingere collyria. Utrumque autem genus medicamenti eximie prodesse iudico proprietate quidem

1 intelleges *L*: intelliges *R*. 4 combiberint] coniverint *L*. ex aqua *M*: eaque *R*. 5 sphongeis *L*: spongiis *R*. 6 balineum *L*: balnea *R*. 7 calide (= ae) *L*. inmergat *L*. 8 adsuetus *L*: ass. *R*. 9 inungueri *L*. 14 expectare *scripsi*: expectari *L* spectare *R*. 15 inpetus *L*: imp. *R*. 17 supra oculos inlitum *M*. 20 quadriduo plerumque *L*. 25 commis *ego*: gummis *R*. 30 quidem *om*. *M*.

quadam, sed praecipue quod nullam in se aspritudinem habet ut pleraque, quibus fere inunguntur homines. Nam quae ex cadmia aut aere usto eiusdemque generis pigmentis conponuntur, quamvis curiose terantur, naturam suam tamen amittere non possunt. Numquam enim ut sucus diluuntur, sed cum in summam subtilitatem deducta sint perseverantia terentium, tamen corpora quasi pulverulenta necesse est maneant, quae oculorum partes velut configunt, certe exterius pungunt foramina primae tuniculae oculi atque ⟨ab⟩ initiis interdum non tam molestam futuram concitant epiphoram.

XXII. Quo nomine etiam quod dia glauciu dicitur probo in initiis. Nam et hoc genere quodam ex eadem materia constat nec ullam aspritudinem habet, quando sic conponitur: Croci p. 𐆖 V, sarcocollae p. 𐆖 X, glaucei suci p. 𐆖 XX, tragacanthi p. 𐆖 V, opi p. 𐆖 V. Hoc enim ego adicio et ita melius respondet. Sed opium et in hoc et in omni collyrio medicamentoque verum adicere oportet, quod ex lacte ipso silvatici papaveris capitum fit, non ex suco foliorum eius, ut pigmentarii institores eius rei conpendii causa faciunt. Illud enim cum magno labore exiguum conficitur, hoc sine molestia et abundanter. Teritur ante omnia crocum aqua pluviatili, deinde adicitur sarcocolla, glaucium, opium, tragacanthum, prius omnia seorsum macerata non multa eius generis aqua, ut quam primum, id est, si potest fieri, eodem die fingantur col-

5 numquam *L*: nunquam *R*. 6 suptilitatem *L*. deducta sint *scripsi*: perducta sunt *M* deduci non possint *R*. 7 tamen, *quod ante* terentium *collocatum habet R, transposui M secutus.* 8 quae oculorum *M*: quorum vero *R*. 9 primae tuniculae *Sperling*: prima et uniculae (*sic*) *L* prima et tuniculam *R*. 10 ab *e M addidi.* 12 Quo *M*: Quod *R*. quod *M*: quidem *R*. diaglauciu *L*: diaglaucium *R*. 14 aspretudinem *L*. quando quidem *M*. 15 glaucei *L*, *ut R*. 16 et opi *L*. Hoc *M*: Et hoc *R*. 17 Sed *M*: scilicet *R*. 18 *post* medicamentoque *male interpunxit R*. 20 pigmentarii *om. M*; *an vocabula* institores eius rei *delenda sunt?* eius rei] egregii *C. Barthius*. 21 conpendii *L*: comp. *R*. 22 *post* teritur *male interpunxit R*. 24 dragacanthum *L*. 26 eodem *M*: eadem *R*.

lyria: solet enim diu neglectum mortario inarescere. His utor primis diebus collyriis non ⟨sine⟩ ceteris auxiliis, prout res postulat, abstinendo dico, sanguinis detractione, meliusque eam ceteris proficere adfirmo.

XXIII. Cum vero pluribus quis diebus vexatus fuerit epiphora cum perseverantia tumoris et pituita ipso calore oculorum glutinosior visa fuerit, quod fere sexto septimove die accidere solet, tum proderunt et ea, quorum genus superius inprobavimus, conposita ex rebus metallicis: facilius enim iam patiuntur oculi, si modo exulcerati non fuerint, iniuriam. Quorum praecipue hoc mihi placet, quod a colore *φαιὸν* dicitur; accipit autem haec: Aeris usti p. X̶ XII, cadmiae ustae p. X̶ XII, stibii cocti p. X̶ XII, acaciae chylismatis p. X̶ VI, aloes p. X̶ III, opi p. X̶ II, croci p. X̶ III, castorei victoriati pondus, murrae, lycii idem [scilicet] ponderis, commis p. X̶ XVIII. Aqua pluviatili quae sunt dura tam diu teruntur, donec levissima fiant, postea cetera alio mortario singula trita admiscentur; cum tollendum est, commi adicitur. Hoc quidam etiam in initiis utuntur cum ovi aquato liquore per se vel cum collyrio, quod a cinereo colore *σποδιακὸν* appellatur, conponitur autem ex his:

XXIIII. Cadmiae botryitidos ustae super testam, donec incandescat, et vino Falerno extinctae p. X̶ XL, cretae Samiae, quam vocant astera, p. X̶ LXXX, stibii cocti p. X̶ XX, opi p. X̶ X, commis Alexandrini p. X̶ XX. Teruntur

1 inacescere *M* nigrescere *Sperling*. 2 utor *M*: uti *R*. sine *addidi e M*. 3 abstinentia *M*. 4 ea *M*. 6 umoris *L*. 7 septimove *M*: septimoque *R*. 9 inprobavimus *L*: impr. *R*. 10 iam] tum *M*. patientur *M*. 12 phaeon *L*. 14 cylismatis *L*. opi *L*: opii *R*. 15 pondus *M*: pondo *R*. murrae *L*: myrrhae *R*. 16 *vocabulum* scilicet *a M omissum uncis inclusi*. XVIII *L*: decem et octo *R*. 17 dura tam diu *scripsi*: durata diu *R*. 18 cum *M*: dum *R*. 19 quidam *M*: quidem *R*. 21 spodiacon *L*. *post* appellatur *quae verba interposita habet R*: Collyrium spodiacum a quibusdam cinereum dicitur, *ea ex lemmate orta vidit Rhod.* 23 botryidos *L*. testa *L*. 24 candescat *M*. 25 stibiis *L*. 26 opi *L*: opii *R*.

haec omnia aqua pluviatili, commi ultimum adicitur; ante hoc cum cetera levia sunt facta, opium miscetur maceratum pridie aqua. Facit hoc per se etiam initio, cum tenuis abundansque fluit lacrima et pustulae molestae sunt, aut cum prima tunica oculi exesa est aliave exulcerata. Cum purum ulcus est, diluitur fere ovi albo, quod est tenuissimum.

XXV. Ad sordida ulcera oculorum crustasque habentia, quas ἐσχάρας vocant, item ⟨ad⟩ carbunculos, quos ἄνθρακας dicunt, facit bene et per se mel Atticum pyxide Cyprii aeris conditum et repositum mensibus duobus nec minus: quanto enim diutius remanet, efficacius fit.

XXVI. Sed praecipue hoc collyrium, quod quidam Athenippium, quidam dia smyrnes, quidam εὐῶδες vocant, quia boni odoris est. Quod etiam ad pustulas papulasque et suppurationes oculorum facit et ad cicatrices non veteres et ad palpebrarum recentem aut in corporibus tenerioribus aspritudinem. Oportet autem eo ad sordida ulcera diluto cum ovi albo, id est aquatissimo uti, deinde cum lacrimae fluere desierint, cinereo superinunguere. Item ad pustulas ex ovo tritum facit, ad papulas vero et ad dolores cum rubore et distentione oculi sicca cum lacte muliebri, ex aqua autem ad cicatrices recentes extenuandas et palpebrarum aspritudinem tollendam subiecto scilicet specillo aut inversa palpebra, si quis eo utatur. Conponitur autem ex his: Pompholygis lotae p. Ӿ VIII, aeris usti p. Ӿ VIII, croci p. Ӿ IIII, murrae p. Ӿ III, nardi p. Ӿ VI et victoriati, lapidis haematitis p. Ӿ II et victoriati, piperis albi

5 aliasve *M.* 6 albo *M*: albore *R quo vocabulo Scribonius usus non est.* 9 ad *addidi e M.* 14 Athenippium *scripsi*: Athenippum *R*; *cf. Gal. XII, 789* πάγχρηστον Ἀθηνίππιον. dia smyrnes] *cf. Orelli inscr.* II, p. 258. 15 *post* boni odoris est *R male repetit*: Sed praecipue hoc, *quae vocabula Marcelli auctoritatem secutus sustuli.* 17 tenerioribus *M*: tenuioribus *R.* 19 cum *ante* ovi *om. M.* 22 ex aqua autem *M*: et ex aqua aut *R.* 26 *cf. Gal.* XII, 774. 27 nardi Ӿ p°. sex semis et victoriati *R.* 28 haematitae *M.*

x ria: solet enim diu neglectum mortario inarescere. His utor primis diebus collyriis non ⟨sine⟩ ceteris auxiliis, prout res postulat, abstinendo dico, sanguinis detractione, meliusque eam ceteris proficere adfirmo.

XXIII. Cum vero pluribus quis diebus vexatus fuerit epiphora cum perseverantia tumoris et pituita ipso calore oculorum glutinosior visa fuerit, quod fere sexto septimove die accidere solet, tum proderunt et ea, quorum genus superius inprobavimus, conposita ex rebus metallicis: facilius enim iam patiuntur oculi, si modo exulcerati non fuerint, iniuriam. Quorum praecipue hoc mihi placet, quod a colore *φαιὸν* dicitur; accipit autem haec: Aeris usti p. X XII, cadmiae ustae p. X XII, stibii cocti p. X XII, acaciae chylismatis p. X VI, aloes p. X III, opi p. X II, croci p. X III, castorei victoriati pondus, murrae, lycii idem [scilicet] ponderis, commis p. X XVIII. Aqua pluviatili quae sunt dura tam diu teruntur, donec levissima fiant, postea cetera alio mortario singula trita admiscentur; cum tollendum est, commi adicitur. Hoc quidam etiam in initiis utuntur cum ovi aquato liquore per se vel cum collyrio, quod a cinereo colore *σποδιακὸν* appellatur, conponitur autem ex his:

XXIIII. Cadmiae botryitidos ustae super testam, donec incandescat, et vino Falerno extinctae p. X XL, cretae Samiae, quam vocant astera, p. X LXXX, stibii cocti p. X XX, opi p. X X, commis Alexandrini p. X XX. Teruntur

1 inacescere *M* nigrescere *Sperling.* 2 utor *M*: uti *R.* sine *addidi e M.* 3 abstinentia *M.* 4 ea *M.* 6 umoris *L.* 7 septimove *M*: septimoque *R.* 9 inprobavimus *L*: impr. *R.* 10 iam] tum *M.* patientur *M.* 12 phaeon *L.* 14 cylismatis *L.* opi *L*: opii *R.* 15 pondus *M*: pondo *R.* murrae *L*: myrrhae *R.* 16 *vocabulum* scilicet *a M omissum uncis inclusi.* XVIII *L*: decem et octo *R.* 17 dura tam diu *scripsi*: durata diu *R.* 18 cum *M*: dum *R.* 19 quidam *M*: quidem *R.* 21 spodiacon *L.* *post* appellatur *quae verba interposita habet R*: Collyrium spodiacum a quibusdam cinereum dicitur, *ea ex lemmate orta vidit Rhod.* 23 botryidos *L.* testa *L.* 24 candescat *M.* 25 stibiis *L.* 26 opi *L*: opii *R.*

haec omnia aqua pluviatili, commi ultimum adicitur; ante hoc cum cetera levia sunt facta, opium miscetur maceratum pridie aqua. Facit hoc per se etiam initio, cum tenuis abundansque fluit lacrima et pustulae molestae sunt, aut cum prima tunica oculi exesa est aliave exulcerata. Cum purum ulcus est, diluitur fere ovi albo, quod est tenuissimum.

XXV. Ad sordida ulcera oculorum crustasque habentia, quas ἐσχάρας vocant, item ⟨ad⟩ carbunculos, quos ἄνθρακας dicunt, facit bene et per se mel Atticum pyxide Cyprii aeris conditum et repositum mensibus duobus nec minus: quanto enim diutius remanet, efficacius fit.

XXVI. Sed praecipue hoc collyrium, quod quidam Athenippium, quidam dia smyrnes, quidam εὐῶδες vocant, quia boni odoris est. Quod etiam ad pustulas papulasque et suppurationes oculorum facit et ad cicatrices non veteres et ad palpebrarum recentem aut in corporibus tenerioribus aspritudinem. Oportet autem eo ad sordida ulcera diluto cum ovi albo, id est aquatissimo uti, deinde cum lacrimae fluere desierint, cinereo superinunguere. Item ad pustulas ex ovo tritum facit, ad papulas vero et ad dolores cum rubore et distentione oculi sicca cum lacte muliebri, ex aqua autem ad cicatrices recentes extenuandas et palpebrarum aspritudinem tollendam subiecto scilicet specillo aut inversa palpebra, si quis eo utatur. Conponitur autem ex his: Pompholygis lotae p. X VIII, aeris usti p. X VIII, croci p. X IIII, murrae p. X III, nardi p. X VI et victoriati, lapidis haematitis p. X II et victoriati, piperis albi

5 aliasve *M.* 6 albo *M*: albore *R quo vocabulo Scribonius usus non est.* 9 ad *addidi e M.* 14 Athenippium *scripsi*: Athenippum *R*; *cf. Gal. XII, 789* πάγχρηστον Ἀθηνίτιον. dia smyrnes] *cf. Orelli inscr.* II, p. 258. 15 *post* boni odoris est *R male repetit*: Sed praecipue hoc, *quae vocabula Marcelli auctoritatem secutus sustuli.* 17 tenerioribus *M*: tenuioribus *R.* 19 cum *ante* ovi *om. M.* 22 ex aqua autem *M*: et ex aqua aut *R.* 26 *cf. Gal.* XII, 774. 27 nardi X p°. sex semis et victoriati *R.* 28 haematitae *M.*

grana X, opii p. X I aut victoriati, commis p. X X. Teritur vino Chio.

XXVII. Collyrium psittacinum a colore ita dictum facit ad epiphoras, quae cum tenui et acri lacrima consistunt, item ad ustiones et solutas cicatrices et vastum tumorem, quem quia a loco interdum videtur propellere oculum, *πρόπτωσιν* vocant, cum ovi albo, quod est tenue. Sed praecipue facit, cum quasi sanguine suffusi sunt oculi et ob id nullum nisi lenissimum collyrium patiuntur. Recipit autem haec: Croci p. X IIII, cadmiae p. X IIII, stibis p. X IIII, opii p. X II, commis p. X II, amuli et recentis et dulcissimi p. X IIII. Eodem modo, quo scripta sunt, in mortario debent teri ex aqua pluviali; amulum autem, cum iam fingendum erit collyrium, adicietur. Interdum et hoc superinunguantur, qui prius Athenippio curati sunt. His fere collyriis lenibus omnia, quae circa oculos cum tumore et dolore fiunt, remediamus, acrioribus autem his:

XXVIII. Ad cicatrices extenuandas et palpebras asperas, quod quia ex quattuor rebus ut quadriga equis constat et celeres effectus habet, *ἅρμα* dicitur; recipit autem haec: Aeris usti p. X IIII, turis arboris corticis p. X IIII, ammoniaci guttae p. X IIII, commis p. X IIII, teruntur ex aqua pluviali.

XXVIIII. Hoc etiam superunctum ad puerorum epiphoras et qui non sufferunt inunctionem facit, ut huiusmodi medicamenta, quae *περίχριστα* vocant: Croci Siculi pondo uncia, commis pondo uncia; haec aqua teruntur, fiunt collyria.

XXX. Est et hoc medicamentum satis efficax, quo ita oportet palpebras perunguere, ne quid intra oculum

1 X *prius M*: decem *R*. aut] et *M*. 3 *cf. Gal.* XII, 764. 4 epiforas *L*. 6 a *om. M fort. recte.* 9 lenissimum *M*: levissimum *R*. 10 stipi *L*. 11 amuli *L*: amyli *R*. 12 quo, *cuius loco R exhibet* quae, *ex M recepi, qui praestat*: eodem ordine quo. 15 Athenippo *R* henippio *L* Athenippio *Cornarius.* 16 lenibus *M*: levibus *R*. 17 *post* autem *fort. addendum e M* utimur. his *ego*: iis *R*. 18 et ad palpebras *M*.

fluat. Recipit autem haec: Croci Siculi p. X̶ III, crocomagmatis p. X̶ XII, turis p. X̶ III, aluminis rotundi p. X̶ VI, opii p. X̶ I, murrae p. X̶ II, commis p. X̶ III. Vino Falerno teruntur; cum levia facta sunt et crassitudinem habent mellis spissi, adicitur passi Cretici pondo sextans; reponitur pyxide stagnea; si passum adiectum fuerit, collyrium erit.

XXXI. Bene facit et hoc medicamentum, quo Augustus usus est, et recipit haec: Aluminis fissi p. X̶ XL, turis candidi p. X̶ X, aloes p. X̶ XV, croci p. X̶ XV, opii p. X̶ II, gallae p. X̶ X, rosae foliorum aridorum p. X̶ X, plantaginis suci vel seminis p. X̶ X. Vino Falerno teruntur; cum levia facta sunt et spissitudinem mellis habent, adicitur passi sextarius aut hemina et rursus commiscetur. Reponitur vase stagneo vel argenteo.

XXXII. Ad caliginem et [ad] aspritudinem oculorum siccamque perturbationem sine tumore, quam ξηροφθαλμίαν appellant, facit hoc collyrium bene, quod psoricon dicitur. Habet autem haec: Croci p. X̶ XII, psorici p. X̶ XXIIII, psimithi p. X̶ IIII, opii idem, piperis albi idem, commis p. X̶ VI; aqua pluviali commiscentur, teruntur.

XXXIII. Stratioticum collyrium ad caliginem et aspritudinem, recipit autem haec: Psimithi p. X̶ VI, piperis albi p. X̶ I, omphaci p. X̶ II, cadmiae p. X̶ III, opobalsami p. X̶ II, opii p. X̶ I, commis p. X̶ II, teruntur aqua pluviali. Collyrium hoc melius superiore ad caliginem facit.

XXXIIII. Stacton quod vocant ad eadem, fere autem mulieribus prodest; habet haec: Cadmiae p. X̶ XII, stibis p. X̶ VI, piperis albi p. X̶ II, misys usti, donec puniceum

6 fuerit *M*: non erit *R*. 14 et *Rhod.*: aut *R*. 16 Collyrium psoricum ad caliginem *R*, *ego priora duo vocabula e lemmate orta delevi.* ad *ante* aspritudinem *om. M et R in indice.* 17 xeropthalmiam *L*, *cf. Cass. Fel.* p. 56 *R*. 20 psimbthi *L* psimmithii *R*. 22 ad caliginem et aspritudinem *M et R in indice:* ad aspr. et cal. *R*. 23 psimithi *L*: psimmithii *R*. 24 omphaci *L*: omphacii *R*. 26 superiore *L*: superiori *R*. 28 stibii *M*. 29 misys *scripsi*: misui *L* mysis *R*. pumiceum *L*.

fiat, p. X̶ II, aeruginis rasae p. X̶ I et victoriati, aeris floris idem, commis p. X̶ V; aqua pluviali teritur.

XXXV. Collyrium acre ad extenuandas cicatrices quamvis veteres caliginemque et aspritudinem oculorum, quod semel inunctum plurium dierum effectum praestat. Oportet autem eo aquato uti, diu enim tenet: Ammoniaci guttae pondo libram, aeruginis pondo libram, commis pondo quadrantem, pluviali aqua teritur aerugo, postea cetera adiunguntur macerata aqua.

XXXVI. Collyrium quod proprie facit ad aspritudinem palpebrarum et callositatem; oportet subicere specillum aut invertere palpebram: Aeris usti p. X̶ XXIIII, aeruginis p. X̶ VI, croci p. X̶ X, murrae p. X̶ I, nardi spicae p. X̶ I, casiae rufae fistularum victoriati pondus, piperis albi grana XLV, commis p. X̶ VIIII; vino Chio teruntur.

XXXVII. Medicamentum liquidum ad palpebrarum veterrimam aspritudinem et excrescentem carnem, σύκωσιν quam vocant, item ⟨ad⟩ callum durissimum; hygram appellant, quia est liquidum medicamentum; carnem ex palpebris tollit sine magno dolore. Recipit haec: Murrae, turis, croci, singulorum p. X̶ III, misyos p. X̶ III, chalcitis p. X̶ VI. Haec teruntur diligenter aceto acri; ubi levia facta sunt et habent spissitudinem passi, miscetur eis mellis Attici pondo libra. Deinde in patella aeris Cyprii super carbones posita infervescit, donec mellis habeat non nimium liquidi spissitudinem atque ita reponitur puxide aeris Cyprii. Cum opus fuerit, invertitur palpebra, deinde hoc medicamento suffricatur curiose ad delacrimationem et ubi desierit mordere, rursus invertere oportet palpebram atque ita pollice inpresso membranas innatantes

4 quamvis *M*: et quamvis *R*. oculorum] angulorum *M*. 11 oportet autem aut subicere *M*. 14 pondus *M*: p^{o}. *R*. 16 medicamentum liquidum *om. M*. 18 ad *addidi*. 21 mysios *R*. chalcitidis *M Stephanus*. 26 liquidi *M*: liquidam *R*. pyxide *M*. 29 et *M*: id est *R*. *post* mordere *add. R* medicamen, *quod interpretis esse inde efficitur, quod Scribonius eo vocabulo utitur nusquam.* 30 innantes *M*.

abducere, quae facile subsequuntur. Post haec cinereo ex aqua inunguendi erunt crassiore. Hoc inunctum multorum annorum callos et aspritudines palpebrarum desperatas a quibusdam oculariorum paucis diebus tollit.

XXXVIII. Ad suffusiones oculorum, quas Graeci *ὑποχύματα* dicunt, medicamentum liquidum: Feniculi suci p. X III, opobalsami p. X III, mellis Attici p. X III, olei veteris p. X III, hyaenae fellis p. X I, euphorbi p. X I. Hoc oleo diluitur et ita commiscetur ceteris. Aquato uti oportebit hoc medicamento: est enim acerrimum et undique humores trahit. Quamobrem non sunt inunguendi, qui capitis dolorem aut gravitatem habent; item ante biduum aut triduum ut aquam bibant, quos destinaverimus eo unguere. Quamquam melius facient etiam, si perseveranter aquam potaverint: vitio enim molestissimo facilius inter initia carebunt.

Non praeterit me habere te prudentes ocularios, quibus si nomina dixeris collyriorum in hoc libro scriptorum, contendent forsan se quoque habere eadem conposita; sed si pondera aut effectus conparare voles, longe diversos invenies. Ego enim ipse eodem nomine multa conposita, non isdem ponderibus et rebus, interdum habeo, sed his maxime probatis utor. Nec utique adfirmo non posse et alios eadem habere; nam et ipse ab aliis accepi, sed raro. Scio quosdam ocularios simpliciter tradentes conpositiones meque multum elaborasse, ut veras et incorruptas acciperem, conscius sum mihi. Neque illud rursus dico, novas ⟨omnes⟩ et non aliquibus notas ⟨me⟩ in hoc libro congesturum conpositiones, verum etiam quasdam divulgatas et, ut ita dicam, publicatas: eiusmodi enim, quia efficaces sunt, etiam pluribus in notitiam veniunt.

1 adducere *M.* 2 crassius *M.* 5 Hygra ad suffusiones *R* hygra *om. M.* 8 viridis *pro* veteris *M.* euphorbi *L*: euforbii *R.* 11 umores *L.* 12 gravidinem *L.* item] et *M.* 14 eo inunguere *L.* 19 contendent *M*: contendant *R.* 20 conparare *L*: comp. *R.* 22 isdem *L*: iisdem *R.* 25 tradere *M.* 28 omnes *ex M recepi, item* me. 30 puplicatas *L.*

XXXVIIII. Ad auriculae tumorem et dolorem sine ulcere prodest herbae urceolaris aut cucurbitae ramentorum sucus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus. Item bestiolae multorum pedum, quae tactae conplicant se in orbem pilulae rotundissimae similem — *κατοικιδίους ὄνους* aut *πολύποδας* Graeci hoc genus animalium vocant — oleo domestico conplures infervefactae vase ferreo bene faciunt. Prodest et gliris pingue et gallinae adeps et medulla bubula liquefacta tepensque infusa. XL. Sed praecipue picis flos, quod *πισσέλαιον* appellant, cum oleo communi mixtus, ita ut tertia pars sit olei. Nam et dolores sedat et fere non patitur suppurationem fieri et si facta fuerit, eadem res persanat. Ad summam ego ipse diu vexatus ab aure, cum multis frustra usus essem medicamentis, ab hoc sum persanatus et alios conplures sanavi. Florem picis autem appello, quod excipitur, dum ea coquitur, lana superposita eius vapori; hoc etiam gravitatem odoris protinus tollit.

XLI. Item bene facit hoc medicamentum ad tumorem et exulcerationem aurium: Aceti acris sextariis duobus incoquuntur mala granata, quibus coriarii utuntur, ⟨quae⟩ quia semper acida sunt nec umquam maturescunt, *ῥοὰς ὀξείας* Graeci dicunt, donec madida fiant. Tunc haec adiciuntur et admiscentur: Aluminis fissi uncia, acaciae suci pondo quadrans. Reponitur medicamentum ampulla vitrea. Cum opus est, ad tumorem quidem calidum per strigilem infunditur, deinde foramen summum lana sucida tegitur, ad ulcus autem frigidum per eiusdem generis lanam et auriscalpium inicitur.

XLII. Si caro excreverit in foramine auris, con-

1 tumorem *M*: et tumorem *R ex dittographia*. 5 conplicant *L*: conduplicant *R*. 6 *ὄνους cf. Gal.* XII, 634. 7 conplures *L*: compl. *R*. 8 in vaso *L*. pingue *M*: pinguis *R*. 10 quod] quem *M*. pisseleon *L*. 11 mixtus *M*: mixtum *R*. 12 dolorem *M*. 20 sextariis duobus *M*: sextarii duo *R*. 21 granata duo *M*. 22 quae quia *Boettiger*: quia *R* et quia *M*. acida *M*: valida *R*. 23 rhoas oxias *L*.

pescitur sine dolore aut ferro hoc pastillo: Aluminis fissi pondo triens, aeruginis pondo triens, misyos usti pondo triens, rubricae Sinopidis pondo triens, commis pondo sextans. Teruntur priora ex aceto acri, donec quasi cum collyrium conponitur levia fiant; ultimum commi adicitur et fiunt pastilli, qui ad omnia ulcera faciunt aqua diluti, cum aut conpescenda sunt aut cicatricem debent ducere; sed aquatioribus oportet uti, cum cicatrix est ducenda. Bene faciunt et ad exulceratas nares qualibet ex causa et graviter olentes.

XLIII. Ad parotidas convenit noctuae cerebellum butyro mixtum: discutit enim fere eas sine dolore et molestia. Oportet autem aqua marina ferventi novis spongeis demissis et per linteum intortum utrimque expressis vaporare parotidem atque ita oblinere hoc medicamento superque tegere lana sulphurata totam maxillam.

XLIIII. Item bene discutit parotidas iris Illyrica contusa cocta ex passo more farinae hordeaciae calda bis terve inposita.

XLV. Discutit et hoc medicamentum parotidas, antequam suppuraverint: Spumae argenteae pondo dua, cerussae pondo libra, salis ammoniaci pondo libra, aeris floris pondo dodrans, aceti sextarius, olei veteris sextarii duo et dimidius. Spumam, cerussam, salem per se et cum aceto terere oportet mortario, deinde oleo admixto traicere in caccabum amplum, ne extra fundatur [et effervescat]: effervescit enim valde. Cum haec super ignem posita habuerint emplastri temperaturam mollis, deponere oportebit caccabum; cum fervere desierit, paulatim aspergere

2 misui *L.* 3 rubici senobidis *L.* 6 pastelli *L.* 7 sunt *M*: sint *R.* debent *scripsi*: debeant *R.* 8 ducenda *M*: cludenda *R.* 13 sfongeis *L* spongiis *R.* 14 utrimque *L*: utrisque *R.* 16 sulpurata *L.* 18 hordiaciae *LR.* 19 terve in die *M.* 21 suppuraverint *R in indice*: suppuraverunt *R* suppurent *M.* 23 dimidius *scripsi*: dimidium *R.* 24 *post* spumam *add.* et *R*, *om. M.* 26 caccabum *L*: cacabum *R semper.* et effervescat *vocabula a M omissa inclusi*; *cf. c.* 207. 29 cum vero fervere *L.*

aeris florem et movere spatha medicamentum, ne extra fundatur, et rursus coquere, donec habeat emplastri spissitudinem stricti.

XLVI. Erumpit se e naribus sanguis, qui cum abundanter fluxit, nisi celerius supprimatur, periculum adfert. Proderit ergo aqua frigida vel posca subinde aspergere totam faciem vel spongea refrigerare, acetum acre infundere in aurem, cuius e regione sanguis fluit, aut in utramque, si ex utraque ⟨nare⟩ sanguis emanaverit. Gypso totam faciem cum fronte et maxime nares crasse oblinere prodest et caput frigida aqua copiose superposito aliquo tegumento perfundere vel cucurbitam occipitio adfigere. Inicere autem intus ⟨in⟩ narem oportebit cocleae vivae carnem per se aut cum turis polline tritam vel herbam, quae quia multa est et ubique nascitur, πολύγονον appellatur. Item trita facit et λυσιμάχιον herba eodem genere. Proderit et spongeae particulam praesectam apte forfice ad amplitudinem et patorem narium figuratam inicere paulo pressius ex aceto per se. Interdum aspergenda ei galla erit vel chalcitis curiose trita vel utraque in unum aequis ponderibus mixta: melius enim facit.

XLVII. Item bene supprimit et hoc medicamentum: Mali corticis, quo coriarii utuntur, pondo quadrans, aluminis Aegyptii pondo sextans, chalcitis pondo uncia. Hoc tritum per sucidam lanam [aspersum medicamentum] inicere oportebit. Facit autem etiam ad omnem ex qualibet corporis parte vel vulnere sanguinis eruptionem.

1 spatula *L.* 3 stricti *om. M.* 4 se *om. Aldus, Stephanus, Rhod.* 7 sfongia *L.* 8 aurem] narem *Rhod.* 9 nare *e M addidi.* 13 in *addidi e M.* narem *M*: narem aut nares *R*; *glossema manifestum sustuli.* 15 polygonos *M.* 16 Item *scripsi*: idem *R.* trita *post* herba collocat *M haud scio an recte.* lysimachios *M.* 17 sfongiae *L.* forfice *M*: forcipe *R.* 24 chalcitidis *M.* 25 sucidam *L*: succidam *R semper.* aspersum medicamentum *vocabula cum in M desint, tamquam glossema inclusi.* 27 vel vulnere sanguinis eruptionem *scripsi*; seu vulneris sanguinisque eruptionem *R* vel ex quolibet vulnere sanguinis eruptionem *M.*

Quoniam interdum ita, ut diximus, minus curati praefocari videntur et maxime cum utraque obturata spisse necessario sunt foramina narium, quia spirandi facultas eripitur, non alienum est scire, qua ratione utrumque praestari possit, ut neque spiratio interpelletur neque remedium efficacissimum, quod per oppilationem narium efficitur, excludatur. Oportet ergo sumere pinnam anseris quam maximam vel calami scriptorii fistulam modice plenam, deinde aptare ad longitudinem nasi atque ita praecidere, utraque parte ut perforata sit, involvereque eam fasciola tenui lintea quasi instita ⟨et⟩ explere circuitum eius, donicum videatur pator narium cuneatione quadam recipere posse fistulam atque ita ut est circumvoluta inmergere aceto acri et inicere interdum per se vel asperso super acetum utro libuerit ante dictorum medicamentorum. Hoc autem remedio magis uti ⟨oportebit⟩, cum per utrasque nares sanguis abundavit.

XLVIII. Ad ulcera in naribus: Plumbi stercus, quod *σκωρίαν* dicunt, ex vino et murteo oleo vicibus adiecto terere oportet, donec spissum fiat, et ita per pinnam nares obteguntur.

XLVIIII. Facit et hoc medicamentum bene: Pompholygis p. X̶ IIII, cerussae p. X̶ XII, hysopi p. X̶ III. Vino Falerno et rosa vicibus adiecta teritur, donec mellis habeat temperaturam.

L. Ad gravem odorem narium — *ὄζαιναν* Graeci hoc vitium vocant — aeruginis pondo quadrantem aut squamae aeris pondo quadrantem aut utramque rerum ponderis sescunciae in mellis despumati pondo libra decoquere oportebit et eo uti liquido per pinnam.

1 praefocari *M*: praefocati *R*. 6 quod per (= per quod) oppilatio narium efficitur *Georges*. 10 eam *M*: ex *R*. 11 instita *M*: insita *R*. et *M*: *om. R*. 12 donicum *Rhod.*: donec cum *R* donec *M*. 13 circumvoluta inmergere *L*: circumvolutam mergere *R*. 16 oportebit *e M addidi*. 19 scorian *L* scoriam *R*. 21 obteguntur] obrigantur *C. Barthius*, et ita naribus infundatur *M*. 26 ozenam *L*.

LI. Ad polypos misy ustum, chalcitis usta, aeris flos, ustum sori, aeris squama tusa cribrata. Si eo medicamento per pinnam saepius nares tactae *, eiusmodi vitia attenuata cotidie emendantur: cum sint a cerebro paribus ponderibus sicca bene faciunt.

LII. Sed quia plerumque vexantur nares gravedine, quae tumore earum efficitur, non alienum est eius quoque remedia scire. Prodest igitur quies unius diei et ab omni re abstinentia. Perunguendae nares erunt bitumine liquido aut murra stacte vel pice liquida. Postero die pastillus iste nocte super cibum dandus est et si opus fuerit, per triduum continuum eodem tempore. Recipit autem haec: Apii seminis pondo trientem, anesi pondo quadrantem, alterci seminis, quod ὑοσκύαμος dicitur, pondo trientem, opii pondo unciam. Fiunt pastilli ponderis victoriati, alii parte tertia detracta. Dantur cum aquae cyathis tribus. Faciunt autem et ad oculorum epiphoras et stomachi nauseam et deiectiunculas et ad omnem fluorem.

LIII. Ad dentium dolorem quamvis plurimi dicant forcipes remedium esse, multa tamen citra hanc necessitatem scio profuisse. Itaque cum etiam exesus est aliqua ex parte, tum non suadeo protinus tollendum, sed excidendum scalpro medicinali, qua cavatus est, quod sine ullo fit dolore: reliqua enim solida pars eius et speciem et usum dentis praestabit. Sed cum dolor urgebit, varie sedandus est, partim collutione quorundam, partim com-

1 misui *L.* 2 Si eo medicamento] *Corruptum esse hunc locum verbis et omissis et turbatis apparet. Cornarius vocabula* Si eo — a cerebro *a M omissa delevit. Ego temptavi:* Ad polypos misy ustum, chalcitis usta, aeris flos, ustum sori, aeris squama tusa cribrata tenui cribro paribus ponderibus sicca bene faciunt. Si eo medicamento per pinnam saepius nares tactae fuerint, eiusmodi vitia attenuata cotidie emendantur. *Cf. Gal.* XII, 683. 6 gravidine *L.* 7 *post* est *R habet* te *ex dittographia quam vocant natum, om. M.* 10 murra stacta *L.* 14 hyoscyamos *L:* ὑοσκύαμον *R.* 16 alii *M:* aliis *R.* 20 forcipes *Aldus:* forfices *R* forficem *M.* 21 etiam *om. M.*

manducatione, nonnumquam suffitione aut inpositione aliquorum. Prodest colluere os frequenter radice herbae quinquefoliae incoctae in vino, item herba urceolari et cupressi bacis aqua incoctis; alterci quoque radix aut eiusdem semen linteolo spisso inligatum et aqua saepius infervefactum denti subinde adpositum.

Item levat aeque dolorem dentium portulaca commanducata ab ea parte, qua non dolebunt, ut sucus traiectus contineatur pusillo diutius, et solani sucus tepens bene facit gargarizatus.

LIIII. Suffire autem oportet ore aperto alterci semine carbonibus asperso, subinde os colluere aqua calida: interdum enim quasi vermiculi quidam eiciuntur. Levat dolorem et bitumen suffitum.

LV. Item commanducare proderit herbam rhododaphnen et salivam dolentibus traicere ac pusillo diutius continere et ita hiantem pati salivam decurrere; item mentastrum vel radicem cotyledonis, quae herba similia folia cymbalis habet nasciturque fere in parietibus humidis. Pyrethri quoque radix commanducata multorum levavit dolorem nec minus alumen fissum linteolo spisso circumdatum et ita dolenti inpressum diutius continere prodest.

LVI. Inponere ipsi vero denti toti oportet hoc medicamentum quasi emplastrum: Peucedani suci p. X III, opopanacis p. X I, turis p. X II, uvae passae sine granis p. X I. Haec per se contundi iubebis, deinde cetera seorsum trita commisceri in unum. Ubi fuerit dolor, auriscalpium lana molli involvitur, deinde tinguitur ferventissimo oleo atque ita denti primum, deinde proximis gingivis superponitur bis terve, donec hebetescat ex aliqua parte dolor; post hoc medicamento dens cooperitur.

1 nonnumquam *L*: nonnunquam *R*. suffusione *L*. inpositione *L*: imp. *R*. 3 in *om. M*. 12 atque subinde *M*. 18 κοτυληδόνος *R* cotyledonis *M*. 22 inpressum *L*: pressum *R*. *haud scio an ante* diutius *inserendum sit* denti. 26 cetera *L, ut R, non* ceram *ut Cornarius edidit*. 28 tinguitur *L*: tingitur *R*. 31 cooperitur *Aldus*: coperitur *R* operitur *M*.

Si repetierit aut permanserit nihilo minus aliquis dolor, super medicamentum auriscalpium cum lana ex oleo candenti eodem modo inponere saepius oportebit, id est donec dolor tollatur.

LVII. Sed si quando moventur dentes ex perfrictione, confirmandi erunt plurima gargarizatione lactis asinini aut vini Marsici ad tertias decocti, in quo lapathi radices conici debebunt, ut una decoquantur. Stringit etiam dentes alumen, quo infectores utuntur, ex melle Attico, ita ut duae partes sint mellis, tertia aluminis. Haec misceri oportet mortario, deinde patella fictili fervefacere, ut spissentur, atque ita recondere quolibet vase dum ne aereo. Hoc medicamentum primo austere ⟨est⟩ et nimis perstringit dentes, postea remissius videbitur.

LVIII. Item proderit motis dentibus hoc medicamentum: Aceti acerrimi sextarius unus semis, cedriae verae, ne habeat picis aliquam mixturam, hemina, aluminis fissi pondo triens. Teritur alumen cum aceto, miscetur deinde cedriae et una omnia vase aereo coquuntur taeda pingui mota, donec in mellis spissitudinem temperati redigantur. Hoc medicamento si quis ter in mense dentes fricuerit, dolorem eorum non experietur.

LVIIII. Dentifricium, quod splendidos facit dentes et confirmat: Farinae hordeaciae sextarium conspergere oportet aceto cum melle mixto et subigere diutius atque ita in globulos dividere sex; quibus dilatatis admiscere salis fossicii semunciam, deinde furno coquere, donec in carbonem redigantur. Tunc terere oportebit eos globulos et admiscere spicae nardi quod satis videbitur ad odorem faciundum; hoc Octavia Augusti soror usa est.

5 movebuntur *M.* 7 *fortasse legend.* quod. 12 vaso *L.* dum ne aeneo *M*: aereo donec *R.* 13 auster est *L* austere *R omisso* est *vocabulo.* perstringit *scripsi*: perstringere *R* constringit *M.* 14 videtur *M.* 19 vaso *L.* taeda *L*: teda *R.* 20 medicamentum redigatur *R*; *ego M secutus deleto* medicamentum *vocabulo scripsi* redigantur. 24 ordiaciae *L.* 26 admiscere *scripsi*: admisceri *R.* 29 odorem *M*: dolorem *R.*

LX. Ad dentium dolorem et confirmationem bene facit radicis edulis cortex sole arefacta et contusa, cribrata; item vitrum candidum, quod simile crystallo est, diligenter tritum admixta spica. Utuntur plerique etiam huiusmodi dentifricio: Herbam urceolarem legunt, cum iam in semine est, quam plurimam cum radice, deinde lotam uno die siccant, postridie recenti muria dura macerant, tertio die expressam olla nova conponunt, subinde salis fossicii quasi tabulata interponunt atque ita percoquunt fornace balneariorum, donec in carbonem redigantur. Postea tritae ad tertias admiscent spicae nardi quod satis est. Hoc cum eo quod candidos facit dentes, tum etiam confirmat. Augustam constat usam. Nam Messalina dei nostri Caesaris hoc utitur: Cornorum cervi ustorum in olla nova ad cinerem redactorum sextario uno, mastiches Chiae pondo uncia, salis ammoniaci pondo sescuncia.

LXI. Solent gingivae quorundam fluore infestari, quas praegnates vocant. Prosunt eis lentisci folia arida contusa et cribrata ⟨tenuiter⟩ perforato cribro; facit et cinis eiusdem lentisci foliorum ex aqua eiusdem decocti.

Conpositum autem hoc medicamentum prodest, quod et ad omnia ulcera, quae in ore fiunt, utile est; ἀνθηρὰ a Graecis appellatur. Recipit haec: Aluminis fissi p. Ӿ IIII, murrae p. Ӿ I, croci p. Ӿ II, cyperi, id est iunci, radicis p. Ӿ II, gallae p. Ӿ I, rosae lutei floris p. Ӿ I, sandaracae p. Ӿ III. His omnibus rebus tunsis cretis arido medicamento uti oportet per pinnam etiam ad παρουλίδας et ἐπουλίδας, id est ubi ex transverso gingiva suppuravit vel ubi super extremum molarem increvit [gingiva] aut

2 cortix *L.* 4 spica nardi *M.* 7 dura *om. M.* 10 balneari *M.* redigatur *M.* 11 tritae *M*: trita *R.* ad tertias *om. M.* 12 est] sit *M.* 15 olla nova *Rhod.*: ollam novam *R* olla *omisso* nova *vocabulo M.* masticis *L.* 16 semuncia *M.* 18 prenates *L* praegnantes *R.* his *pro* eis *L.* 19 tenuiter *e M addidi.* 22 anthera *L*; *cf. Cass. Fel. p.* 78 *R, ubi fere eadem compositio extat.* 24 mirrae *L.* cyperi *M*: cypiri *R.* 29 aut tonsillarum tumorem magnum ut digito pressius fricentur vel ubi super extremum molarem increverit

⟨ad⟩ tonsillarum tumorem magnum, ut digito pressius fricentur.

LXII. Est et molestum interdum, cum cancer os corripit, quod initiis neglectum brevi spatio temporis mortis causa est. Oportet ergo cum primum visum fuerit, antequam latius serpat faucesque occupet, misy usto quam plurimo cum melle uti saepius, deinde colluere aqua oleastri decocti subinde aut corticis mali granati.

LXIII. Medicamentum Andronis prodest in omni parte corporis facto cancro, recipit autem haec: Mali granati corticis p. X̶ X, terrae mali p. X̶ VIIII, aloes p. X̶ IIII, murrae p. X̶ II, gallae p. X̶ VIII, aluminis fissi p. X̶ III, aeris floris p. X̶ duum. Teruntur et cribrantur sicca curiose, deinde admiscetur passum Creticum, dum habeat spissitudinem mellis; vitro reponitur. Cum opus est, vino austero [sumendum medicamentum est] diluitur. Facit hoc medicamentum ⟨et⟩ ad carbunculos et ad ignem sacrum et ad zonam, quam Graeci ἕρπητα dicunt.

LXIIII. Ad faucium uvaeque tumorem stomatice hac fere utuntur, quia nullam aspritudinem habet et satis efficax est: Uvae Amineae acerbae, cum primum granum incipiet perlucere, suci sextarios quattuor, mellis Attici sextarium commisceto in unum atque in aereo vaso coquito subinde movens, donec mellis spissitudinem habeat.

LXV. Altera ad eadem utor stomatice, cum diutius vexatae partes ante dictae sunt: Aluminis fissi p. X̶ II, gallae contusae p. X̶ II, omphaci aridi p. X̶ I, croci p. X̶ I, passi Cretici sextarius unus. Hoc decoquitur vaso fictili ad

gingiva *R*; *verborum ordinem restituit Rhod., ego* increvit *scripsi et* gingiva *uncinis circumscripsi.* 1 ad *inseruit Rhod.* 6 misui *L.* 15 cum opus est, vino austero sumendum medicamentum est, vitro reponitur, diluitur *R*, *ego vocabula* vitro reponitur *post* mellis *transposui et vocabula* sumendum medicamentum est *a M omissa tamquam glossema uncis inclusi.* 17 et *addidi e M.* 18 herpetam *L.* 21 incipit *M.* 25 ad eadem *scripsi*: eiusdem *R* altera ad eiusmodi molestias compositio *M.* 27 omphaci *L*: omphacii *R.*

dimidias et ita cetera diligenter trita admiscentur. Utrumque autem medicamentum stagneo reponendum est vaso.

LXVI. Ubi vero suppuratio faucium suspecta est diutius permanente earum tumore et interdum febriculis non sine horrore intercurrentibus oportebit gargarizare quidem aqua mulsa crebrius furfuribus siligineis decocta vel passo ad dimidias decocto bene caldo, uti ore et faucibus diutius contineatur, vel ea aqua, in qua ficus arida pinguis erit decocta, perunguere autem fauces hoc medicamento, qua tactus sustinere poterit, pusillo pressius: Mellis optimi heminam, resinae terebinthinae p. X II, rosae cyathos II. Resinam cum rosa in duplici vaso, uti solent unguentarii, liquefacere oportet, deinde admiscere ei mel et coquere, donec spissum fiat medicamentum. Hoc etiam cum eruperit suppuratio, uti oportet: expurgat enim et explet idem.

LXVII. Ad anginam prodest sanguinis detractio, cucurbitarum admissio ceteraque auxilia, quibus medici efficacius utuntur. Medicamenta autem simplicia quidem haec faciunt: Laser Cyrenaicum, si poterit inveniri: sin minus, Syriacum aqua dilutum, crassius per pinnam faucibus adhibitum; item euphorbium aqua dilutum.

LXVIII. Conpositorum autem medicamentorum haec sunt apta: Fellis taurini, salis, aceti, mellis, olei veteris aequas partes in unum miscere oportet et cum opus fuerit, pinna perfricare fauces diutius.

LXVIIII. Item bene facit: Git fricti p. X II, pyrethri p. X I, sagapeni victoriati pondus; melle miscentur haec in unum trita.

LXX. Facit bene et hoc medicamentum: Fellis taurini p. X II, elaterii, qui est sucus cucumeris silvatici, p. X I, cachryos animati p. X I; tritum melle admixto reponitur. Cum opus est, dilutum aqua tepida sumitur et

5 incurrentibus *M.* 10 qua *L*: quam *R* quantum *Cornarius.* 12 *fortasse* quo uti. 15 oportebit *M.* 17 et *ante* sanguinis *add. R, om. M.* 18 admissio] admotio *Rhod.* 22 euforbium *R.* 27 fricti *M*: frictum *R.* 33 sumitur *M*:

fauces perunguntur coguntur que inde quam plurimum devorare: solvit enim ventrem et ita vehementissime prodest. Item hoc medicamentum bene facit: multos enim a summo discrimine mortis liberavit: Hirundinum pullorum cineris pondo quadrans, hysopi pondo sextans, nitri pondo uncia, piperis pondo semuncia, laseris pondo semuncia; his tritis cretis mellis Attici quod satis erit admiscetur. Et hoc autem ut ceteris medicamentis saepius fauces et pressius fricare oportet.

Multis et hoc profuit medicamentum, quod est sine dubio efficacius et vehementius: Costi, apii, anesi, schoeni, casiae rufae, singulorum p. X̶ binum, git p. X̶ I, amomi victoriati pondus, zeae, quod est semen, p. X̶ II, aluminis fissi semuncia, gallae mediae magnitudinis numero V, croci p. X̶ II, crocomagmatis victoriati pondus, murrae victoriati pondus, aristolochiae Creticae p. X̶ IIII, cinnami p. X̶ III, hirundinum silvestrium pullorum cineris pondo uncia, nardi spicae victoriati pondus. Haec omnia sive contusa sive creta diligenter melle Attico despumato conprehenduntur. Cum autem opus fuerit, adicietur quod satis erit eiusdem mellis. Hoc Augusta semper conpositum habuit.

LXXI. Uvam supprimit diu iacentem sal ammoniacum, galla contusa aequis ponderibus. Eadem ratione aluminis fissi p. X̶ IIII, piperis albi p. X̶ I; quibus in unum mixtis coocleario ter tacta resilit. Item herbae cyclamini suco per coclearium ter die tacta ac per triduum non solum resilit ac fit minima, sed etiam raro valde molestat.

Item ad uvae tumorem et tonsillarum siccum et efficax medicamentum: Gallae tusae pondo uncia, aeris floris pondo semuncia, menarum sine ovis quae sunt salsarum capita

sumetur *R.* 1 perunguntur *M*: perungentur *R.* 3 bene facit *huc transposui vocabulis* vehementissime prodest, *quae R post* medicamentum *repetit, deletis, post* liberavit *colloc. R.* 8 Et hoc autem caeteris *R*, Et hoc ut ceteris *Rhod.* Et hoc autem ut c. *scripsi.* 13 pondus *L*: p°. unius *R*, *item infra.* 16 aristolociae *L.* 18 pondus *M*: pondo *R.* 19 conprehenduntur *L*: comprehendantur *R.* 29 floris *ego*: flos *R.*

decem. Haec comburuntur et ita ceteris admiscentur cineribus et postea nihilo minus in unum diutius teruntur. Oportet autem digito humido tangere medicamentum et sic uvam ab imo rectam diutius supprimere sursum versus.

LXXII. Item aliud efficacius ad uvam diu iacentem: Cyperi siccatae bene pondo quadrans, murrae ϿS, croci siccati ante ϿI, sandaracae p. X̶ I, aluminis fissi ϿS, aeris usti ϿS. Haec omnia in unum tunduntur, cribrantur ac digito melle mixto medicamentum sumitur et ita uva levatur ac tonsillae pressius fricantur per triduum aut si voles, digito mundo sine melle curabis.

LXXIII. Ad arteriam exasperatam simplicia quidem haec faciunt: Commis Alexandrina vel tragacanthum per se sub lingua retentum. Conpositio autem haec est: Papaveris silvatici iam maturi, viridis tamen adhuc capita quam plurima vase fictili coniciuntur aquaque superfunduntur, ut supernatet duobus tribusve digitis. Haec ubi triduo macerata fuerint, eodem vase coquuntur, donec demadescant; postea exprimuntur capita omnisque aquae percolatae prius diligenter mensura capitur, ad cuius modum mellis Attici quarta pars miscetur; deinde per duplex vas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. Hoc medicamentum et ad arteriae tumorem et ad tussim facit.

LXXIIII. Altera arteriace ad fluorem et raucitatem arteriae, item [ex ea] ad tussim et abscisum sonum vocis: Tragacanthi p. X̶ VI, commis Alexandrinae p. X̶ VI, murrae p. X̶ I, turis p. X̶ II, croci p. X̶ I, piperis albi grana XX,

2 cineribus *quod non est in M suspectum.* 3 umidum *L.* 4 sursum versus *Rhod.*: sussum versos *L* sursum versum *R.* 6 Ͽ *Aldus hic et infra*: Ͽ *R*; *qua nota scripulum an sicilicum significare voluerit non constat.* 7 ϿI *scripsi*: ϿΓ *R.* 8 in unum tunduntur] intunduntur *Aldus.* 14 *Quod Ruellius existimavit post* haec est *compositionem intercidisse, erravit.* *ante* papaveris *exhibet R* ad tumorem arteriae, *quae verba ut e lemmate orta expunxi.* 16 vaso *L.* coiciuntur *L.* 18 vaso *L.* 19 capita *om. M nescio an recte.* 25 ex ea *inclusi,* et *coniec. Rhod.* abscissum *R.* 26 gummis acanthini *M.* murrae (*sic*) *L.*

cariotarum recentium trium pulpas medias detracta exteriore cute interioribusque venis vel uvae passae novae et incorruptae purgatis interioribus granis p. X VIII. Commis et tragacanthum passo Cretico uno die et una nocte macerari oportet et postero die pila et pilo mundo contundere et cetera trita mortario curiose admiscere, inde dare fabae magnitudine globulum sub lingua tenere devorantem quod liquefactum fuerit. Hoc medicamentum pipere detracto et ad tumorem arteriae facit, servandum autem puxide buxea.

LXXV. Arteriace, qua melior non est, refertur autem ad Asclepiaden nostrum, facit ad omnia superius dicta efficacius et quidquid in arteria vitii est. Constat ex his: Murrae optimae pinguis p. X XXIIII, tragacanthi candidi p. X XXVIII, glycyrrhizae radicis p. X XVIII, resinae terebinthinae verae p. X XVIII. Tragacanthum sicut est contundere et per cribrum tenuibus foraminibus eicere oportet; deinde murram tritam seorsum admiscere et rursus utraque in unum diu terere atque ita in pilam conicere et ibi cum concaluerint ictu pili, terebinthinam paulatim miscere, donec omnium unitas fiat. Postea glycyrrhizam contusam et cribratam mortarioque nihilo minus tritam sensim aspergere oportet. Ubi haec bene mixta fuerint, dum calet medicamentum, plures accedant et pilulas faciant magnitudinis fabae. Fit enim durissima haec arteriace et hoc ipso praecedit ceteras, quia linguae subiecta non facile solvitur et ita diutius exhibet suum effectum.

LXXVI. Ad suspirium facit bene inter simplicia quidem acetum scillites quod vocant cocleario ter quaterve sumptum in die. Prodest et ipsa scilla, argilla circumdata et furno cocta purgatis exterioribus putaminibus, et

3 p. X VIII *scripsi cum M*: p°. VIII *R*. 7 magnitudine *Rhod.*: magnitudinem *R*. 8 quod *M*: quoad *R*. 10 pyxide *L Stephanus*. 12 ad Asclepiaden nostrum *scripsi*: ab Asclepiade nostro *R* in Asclepiaden *L*. 13 quidquid *L*: quicquid *R*. his] *cf. Gal.* XIII, 51. 20 coici *L*. 28 facit *M*: faciunt *R*. 29 cocliario *L*.

quod tenerrimum est eius, mellis Attici duabus partibus admixtum et tritum bene, cocleario semel in die bisve sumptum. Profuit multis pulmo vulpis in olla fictili ad cinerem redactus et datus mensura coeleariorum trium cum aquae calidae cyathis tribus, item pulmo cervi eodem modo factus et datus.

LXXVII. Prodest et hoc medicamentum evidenter: Aluminis fissi p. 𐆖 VI, opii p. 𐆖 I. Aqua exigua opium diluitur, miscetur alumini ante trito; fiunt globuli ciceris amplitudinis, dantur ieiuno ante cibum quaterni aut quini. Hoc medicamentum et ad sanguinis eruptionem ex interioribus partibus facit et ad veterem tussim et ad phthisicos vel alios, qui purulenta excreant.

LXXVIII. Hoc quoque medicamentum ad suspirium satis commode proficit: Sulphuris vivi p. 𐆖 I, nitri p. 𐆖S, abrotani quod tribus digitis conprehendi possit. Haec contunduntur et teruntur curiose. Cum opus est, dantur ex his coclearia duo cum duobus cyathis aceti calidi ieiuno.

LXXVIIII. Aliud medicamentum ad suspirium efficax valde, facit autem et ad lumborum diutinum dolorem et ad paralysin et ⟨ad⟩ hydropicos ⟨et ad⟩ lienosos: Bryoniae, id est albae vitis, radicis p. 𐆖 XII, iris Illyricae p. 𐆖 XII, ammoniaci guttae p. 𐆖 XII, asparagi radicis p. 𐆖 VI, scillae bulbi crudi ex interiore parte p. 𐆖 XII, tragacanthi p. 𐆖 VI. Mel miscetur contusis et tritis, donec cerae mollis habeat temperaturam. Inde, cum opus est, datur p. 𐆖 I cum aquae mulsae cyathis tribus vel quattuor.

LXXX. Ad strumas bene facit radix cucumeris silvatici cocta ex aqua mulsa et trita atque ita inposita, item ebiscum eodem modo factum. Sed melius marini lepores

1 mellis Attici duabus partibus *M*: mellis duabus partibus Attici *R*. 4 cocliariorum *L*. 15 sulpuris *L*. nitri p. 𐆖 selibra *R*, *corr.* *Rhod.* 16 abrotani (*sic*) *RL*. 18 cocliaria *L*. 21 paralysen *L*. et ad hydropicos et ad lienosos *M*: et hydropicos, lienosos *R*. bruoniae *L*. 23 hammoniaci *L*. 26 habeant *M*. 27 aquae mulsae *M*: aqua mulsa *R*. 30 hebiscum *L*.

oleo vetere necati faciunt in plumbea puxide clusi, quam diebus quadraginta diligenter alligatam oportet habere. Postea ex ea pinna oblinendae sunt strumae superque eas pellis lanata non nimium tonsa tegendi gratia inponenda est. Praecipere autem oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet aut inquinatas, priusquam laverit, ad os referat.

LXXXI. Ad strumas et ad duritias mammarum mirifice facit, antequam suppurent et post suppurationem nihilo minus, hoc medicamentum: Olei veteris pondo dua, spumae argenteae pondo libra, gallae Syriacae pondo triens, mannae turis pondo uncia, galbani pondo uncia. Cum oleo coquitur spuma, donec cerati spissi habeat temperamentum, deinde admiscetur ei galla et secundum hanc manna. Cum emplastri habet spissitudinem, tollitur ab igne medicamentum et cum desinet fervere, paulatim galbanum miscetur per minutas partes; linitur aluta, cum opus est. Hoc medicamentum solvitur tertio quartove die, si non suppuraverint strumae; sed si apertae fuerint, hieme alternis, aestate cotidie.

LXXXII. Malagma ad strumas et omnem duritiem mirificum, item ad mammarum muliebrium duritiam et ad paniculas et ad tubera et cetera, quae subito adnascuntur, recipit haec: Resinae terebinthinae pondo dua, cerae pondo semissem, propolis, quam quidam ceram sacram vocant, pondo sescunciam, galbani pondo sextantem, olei veteris pondo selibram. Haec omnia oleo ad ignem liquefacere oportet et postea miscere visci de quercu pondo quadrantem, ammoniaci guttae pondo quadrantem, ebisci radicis aridae pondo quadrantem, cypiri radicis, quem nos gladiolum appellamus, pondo sextantem, faeculae pondo trientem, aphronitri pondo quadrantem, Assii lapidis florum pondo quadrantem, opopanacis pondo sextantem. Haec

1 pyxide *L.* 2 diebus XL *L.* 3 ex eo *M.* 10 duo *Aldus.* 17 *post* miscetur *interpunxit R, ego post* partes. 21 strumas *M*: strumam *R.* 22 item *Rhod.*: idem *R.* 31 faeculae *M*: ferulae *R.* 32 afronitri *L.* Asii *R.*

omnia ordine, quo scripta sunt, cribrata in caccabum coniciuntur, opopanax oleo diluitur. Ubi temperatum est medicamentum, manibus subigitur; linitur, cum opus est, aluta.

LXXXIII. Ad sanguinis eruptionem sive ex arteriis sive a pulmone vel pectore ea fuerit, bene facit symphyti radix, quam quidam inulam rusticam vocant, quidam autem alum Gallicum dicunt, lota aqua frigida et rasa cultello eburneo vel osseo pondere sextantis aut plus, id est, quantum poterit manducare et devorare: neque enim amara est. Oportet autem eodem die acetum non gustare, quod interdum per se magnifice solet prodesse, sed huius radicis effectum resolvit. Item bene facit polygonii sucus cyathorum duorum aut trium per triduum repetitus et plantaginis et solani eodem modo sucus. Prodest et cretae Samiae p. X I sumptum ex aquae frigidae rigore detracto cyathis tribus. Prodest et herbae, quam πόλιον vocant, nos ut opinor tiniariam, fasciculus, quantum manu conprehendi potest, in tribus heminis aquae decoctus et ad tertias redactus, si quis inde cyathos tres dederit per triduum.

LXXXIIII. Oportet autem extra sentienti vulnus eo loco spongeam ex aqua recenti inponere vel ex aceto acri ac frequenter mutare, ne concalefacta noceat, et vetare artus constringere, quod plerique medicorum faciunt ignorantes, quod incitatur sanguinis eruptio musculorum conpressione, quandoquidem omnis constrictio in utramque partem exiget aeque subiectam materiam, sicut utrem si quis medium laqueo constrinxerit, animadvertet in utramque partem excludere subiectum liquorem et si superforatus casu fuerit, incitatione eiaculabitur quod in eo erit. Eadem ergo ratione cum sanguis eruptus est, qui

1 caccabum *L*: cacabum *R*. 5 arteria *M*. 6 a] e *Boettiger* ex *M*. 9 pondere *scripsi*: p°. *R*. 13 polygoni *M*. 14 duum *M*. 15 *post* Prodest *interpunxit R*. 18 quantus *M*. 20 redactus] redactis *Rhod., at cf. Plin. nat. hist.* 26, 54: hysopi manipulus decoctus ad tertias. 21 extra] interius *M*. 22 sfongeam *L*: spongiam.

constringunt vi magna artus, exprimentes sanguinem venis subiectum, cogunt magis erumpi per vulnus. Huius rei argumentum est, si quis super laqueum percusserit venam in brachio, quae est animalis, animadvertet aeque incitari sanguinem ex ea parte, quam ex inferiore loco cum percussa est vena. Et hoc per se quidem si non viderant medici, merito essent culpandi, quod neglegentes in ancipiti casu hominum essent, cum praesertim Asclepiades etiam pluribus usus sit argumentis in hac re, neque ei quisquam contradixit. Quis enim adversus veritatem hiscere potest? Proinde magis sunt custodiendi, qui pollicentur salutis custodiam unius cuiusque se facturos; tam inertes autem et neglegentes necessaria quidem ad conservandam vitam humanam, quae per aliorum laborem reperta sunt, studeant scire. Merito itaque manifeste quidam iugulantur genere quodam incitata eruptione sanguinis ab eiusmodi hominum imprudentia. Et, o bone deus, hi sunt ipsi, qui imputant suam culpam medicamentis quasi nihil proficientibus. Sed ad propositum revertemur.

LXXXV. Faciunt et conposita medicamenta ad sanguinis eruptionem, quorum et hoc est: Acaciae suci pondo uncia, hypocistidos, qui est sucus rosae silvaticae, quam caninam quidam vocant, pondo uncia, balausti, quod est flos mali granati, quo coriarii utuntur, pondo uncia, opi pondo semuncia. Balaustium contunditur, cribratur, siccum mortario teritur. Cetera pridie macerata in aqua commiscentur diligenter et pastilli finguntur, quidam pondere X̶ I, quidam victoriati. Dantur ad aetatem cuiusque ex aquae frigidae remissae cyathis tribus aut duobus. Atque ille quidem pastillus bene facit ⟨et⟩ ad dysintericos, id est torminosos.

19 *an* revertamur? 20 et *M*: enim *R* etiam *Rhod.* 22 uncia *M*: unciae *R*, *item infra*. 23 balausti *L*: balaustium *R*. 24 uncia *M*: unciae *R*. opi *L*: opii *R*. 25 semuncia *M*: semunciae *R*. cribratur *M*: siccatur *R*. siccum *M*: sicco *R*. 27 diligenter et *M*: et diligenter *R*. pondere *scripsi*: p^{o}. *R*. 28 victoriati *Rhod.*: victoriati denarii *R*. 30 et *om. R, recepi e M*. disintericos *L* dysentericos *R*.

LXXXVI. Alter pastillus ad sanguinis eruptionem mirifice faciens: Tragacanthi p. 𐆖 VIIII, Samiae cretae p. 𐆖 VII, cerae Ponticae p. 𐆖 VIIII, glycyrrhizae suci [est autem radix dulcis] p. 𐆖 V, symphyti suci p. 𐆖 XII, commis p. 𐆖 IIII, hypocistidos suci p. 𐆖 VII, turis p. 𐆖 V, aluminis liquidi p. 𐆖 II, opii p. 𐆖 V, amuli p. 𐆖 VI, murrae p. 𐆖 V, croci p. 𐆖 VII, plantaginis suci p. 𐆖 III; passi meconi quod satis erit miscebitur, fiunt pastilli, alii pondere 𐆖 I, alii victoriati. Dabuntur ex aquae tepentis cyathis duobus et dimidio.

LXXXVII. Catapotium, id est medicamentum, quod non diluitur, sed ita ut est devoratur, ad tussim, quae cum fluore est: Croci pondo uncia, murrae pondo sextans, opi pondo quadrans. Contunditur crocum, percribratur; contusae murrae opium admiscetur aqua exigua dilutum. Postea adicitur crocum et cum in unum bene mixta sunt, finguntur pilulae ervi magnitudinis; dantur in noctem ternae vel quaternae.

LXXXVIII. Catapotium alterum ad tussim aridam: Murrae, piperis, castorei, galbani, storacis, opii, singulorum idem ponderis. Castoreum et piper contunduntur et cribrantur, deinde murra ante trita ceteris contusis aeque admiscetur. Ubi omnium unitas mortario facta est, melle despumato medicamentum conprehenditur, deinde formantur pilulae viciae magnitudinis; dantur ternae vel quaternae in noctem.

LXXXVIIII. Aliud catapotium ad tussim veterem, suspirium, [et] phthisi temptatos, lienem et iecur durum habentes; idem inflationem tollit et purgat mulierem, si qua

3 rutae *pro* cerae *M.* clycerizae *L.* 4 *verba inclusa interpretis esse videntur.* 5 hypocistidos *L*: ὑποκιστίδος *R.* 6 amyli *R.* 8 miconi *L* meconii *R.* fiant *L.* 9 pondere *scripsi* p°. *R.* 13 uncia *scripsi*: unciae *R.* sextans *ego*: sextantis *R.* 14 opi *L*: opii *R.* quadrans *scripsi*: quadrantis *R.* 17 noctem *M*: nocte *R.* 20 storachis *L.* 22 myrrha a. trita *M*: myrrhae a. tritae *R.* 23 admiscetur *M*: admiscentur *R.* 28 suspirio *M* et *inclusi.*

ex partu substiterunt: Styracis p. X VI, murrae p. X II et victoriati, opopanacis p. X II, iris Illyricae p. X II, galbani p. X II, resinae terebinthinae p. X V, alterci seminis p. X I, nitri p. X I, piperis albi p. X I, opi p. X I. Irim, altercum, piper contundere oportet et cribrare, nitrum mortario terere et cetera pilo commiscere et postea haec eis adicere atque facere catapotia magnitudinis fabae, inde terna vel quaterna in noctem dare ad inflationes in ipsa distentione cum aquae calidae cyathis tribus.

LXXXX. Pastillus ad tussim, destillationem pectoris ⟨et⟩ pulmonis, ad epiphoras oculorum, vesicae dolorem, qui cum fluore consistit, ubi saepius et non sine cruciatu urinam faciunt, item ad eos, qui sanguinem reiciunt aut per urinam reddunt, ad deiectionem, tormina, gravedinem, choleram, stomachi crebram nauseam cum vomitu sine febre, et quidquid reprimere et siccare oportet, optime conpescit; praeterea facit ad omnis partis corporis dolorem praeter capitis; quin etiam si quando aliquis hoc fuerit inunctus, † alii vitio non erit dandum hoc medicamentum. Cum autem ad omnia, quae supra dixi, manifeste prosit, tum praecipue ad phthisim initia habentem bene facit: multos enim eripuit ex magno periculo interdum bis terve datus hic pastillus; recipit haec: Murrae troglodytis p. X VI, croci p. X V, opii p. X IIII, turis p. X V, alterci albi seminis p. X IIII, Apollinaris herbae radicis corticis p. X IIII. Contunditur hic cortex per se et cribratur tenui cribro, deinde crocum, postea altercum,

4 opi *L*: opii *R*. 6 comminuere *M*. 11 et pulmonis *M*: pulmones *R*. 14 gravidinem ventris *L*. 16 febri *L*. quidquid *L*: quicquid *R*. 18 praeter *M*: praeterea *R* praesertim *Rhod*. 19 alii vitio] *locus graviter corruptus, ad quem emendandum Marcellus nihil praestat subsidii*; *quae enim hic habet*: quin etiam si quando alicuius rei causa datum fuerit, aliae rei vitio non erit hoc medicamentum *non minus corrupta esse videntur*. 21 ad phthisim initia habentem *scripsi*: ad initia phthisim habentes *R* ad initia phthiseos *Cornarius*; *cf. c.* 206 parotidas initia habentes. 23 myrrae trocloditydos *L*; *cf. c.* 94. 26 haec cortix *L*.

murra, tus, quibus miscetur opium pridie aqua maceratum; subinde aquae exiguum adicitur, donec fingi pastilli possint pondere victoriati, alii tertia huius ponderis detracta. Dantur in noctem ex aquae cyathis tribus. Somnum faciunt, dolorem sedant, ut superius dixi. Oportet autem ex eo etiam catapotia facere: quidam enim facilius ea quam potionem sumunt, verum non multum interest.

LXXXXI. Ad eadem remissior quidem pastillus, sed non contemnendus: Croci, murrae, alterci, opii pondera paria contusa miscentur despumato Attico melle; fiunt pastilli eiusdem ponderis. Dantur ad aetatem et vires in noctem. Licet et hinc catapotia facere propter eandem causam, sed tunc aqua, non mel adicitur.

LXXXXII. Pastillus ad tussim et sanguinem reicientes et stomachum solutum habentes, facit et ad deiectionem et vesicae dolorem: Apii seminis p. X̶ VI, alterci seminis p. X̶ XII, anethi p. X̶ XII, opii p. X̶ VI, croci p. X̶ III, rosae foliorum arefactorum in umbra p. X̶ XII, murrae p. X̶ XII. Semina et crocum et folia rosae contunduntur, cribrantur, murra teritur, opium aqua maceratur, omnia in unum miscentur, aqua adiecta fiunt pastilli victoriati pondere, alii tertia parte detracta. Dantur ad stomachum inbecillum habentes et sanguinem reicientes ex aquae frigidae cyathis duobus, ceteris ex calidae totidem cyathis.

LXXXXIII. Pastillus ex odoribus bene facit ad omnem dolorem, proprie autem ad tussim, item ⟨ad⟩ pectoris destillationem et oculorum epiphoras, facit et ad suspirium et ad lateris dolorem et ad phthisicos et vesica renibusque laborantes vel sanguinem ad urinam reddentes cum dolore: Casiae, cinnami, croci, singulorum p. X̶ III, alterci seminis, Apollinaris herbae radicis, singulorum p. X IIII,

3 p°. X̶ victoriati *R*, X̶ *delevi et* pondere *scripsi*. 10 melli *M*. 11 et vires *M*: eius tres *R*. 14 et ad sang. r. et ad stom. *M*. 16 apii seminis *M*: apii semen *R*. 22 pondere *scripsi*: p°. *R*. alii *scripsi*: aliis *R*. 23 imbicillum (*sic*) *L*: imbecillem *R*. aquae frigidae *M*: aqua frigida *R*. 24 calidae *M*: calida *R*. 26 ad *addidi*. 31 apolenaris *L*.

piperis p. X II, opii p. X IIII, turis p. X III, nardi spicae p. X II. Vino Falerno contusa et trita utraque, ut debent, consperguntur, fiunt pastilli victoriati pondere, alii parte tertia detracta. Dantur in noctem, prout vires sunt, cum aquae calidae cyathis duobus aut tribus.

LXXXXIIII. Medicamentum, quod per coclearium devoratur, bene facit ad tussim aridam et eos, qui difficulter glutinosa excreant et praefocari videntur interdum, sed praecipue ⟨prodest⟩ iis, qui lateris dolorem cum febre sentiunt, quos Graeci πλευριτικοὺς vocant: liberat enim eos ab omni periculo. Hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, praeceptoris Valentis et nostri, et numquam ulli se vivo conpositionem eius dedit, quod magnam opinionem ex ea traxerat. Est autem haec, quae conponitur tribus rebus his: Piperis nigri electi et ponderosi granis duobus, murrae troglodytidos p. X II, mellis Attici despumati libra. Piper contunditur diligenter et cribratur, murra teritur mortario curiose et postea utraque in unum miscentur, deinde mel adicitur. Dantur coclearia quina vel sena, pleuriticis etiam plura saepius, sed cum intervallo dare oportet et maxime cum tussiunt aut praefocari videntur et difficulter spirant sive noctu sive interdiu: protinus enim excreant ea, quae obstant transitui spiritus, et tussire desinunt.

LXXXXV. Alterum medicamentum ad tussim aridam: Nasturci animati seminis pondo uncia, alterci seminis pondo uncia, opii pondo uncia, murrae pondo uncia, croci pondo semuncia, sulphuris vivi pondo semuncia, piperis albi pondo quadrans. Melle colligitur medicamentum, datur fabae Aegyptiae magnitudine ex cyathis aquae tribus in noctem. Facit autem hoc medicamentum ad lateris dolorem et ad stomachi inflationem, gravedinem, coeliacos,

3 pondere *ego*: p^{o}. *R.* alii *scripsi*: et aliis *R.* 6 cocliarium *L.* 9 prodest *e M addidi.* 10 pleuriticos *L.* 16 trocloditidos *L.* 19 cocliaria *L.* 20 et saepius *M.* sed *M*: et *R.* 26 nastorci *L*: nasturcii *R.* 28 sulfuris *L.* 30 aquae calidae *M.* 32 gravidinemque *L.*

qui subito universa deiciunt; prodest et dolenti superpositum et circumdatum denti et si exesus est, in cavernam eius insertum. Tollit praeterea horrores febrem praecedentes, tum cum haec circuitum certum habet, datum ante horam, diutius corpore perfricato ex oleo calido. Prodest et illis, qui sine horrore circuitibus febrium vexantur; quamobrem ληξιπύρετος haec conpositio dicitur.

LXXXXVI. Aliud ad tussim aridam et glutinosa excreantes, purgat etiam interaneas vomicas, suppurationes: Lini seminis, urticae seminis, nasturci seminis, iris Illyricae radicis aequa pondera misceri oportet cum melle despumato quantum satis sit et frequenter coceario dare.

LXXXXVII. Ad lateris dolorem, sive cum febre sive sine febre fuerit, conpositio mirifica, non ignorata quidem ab antiquioribus propter effectus, sed praecipue a Paccio Antiocho auditore Philonidis Catinensis usu inlustrata: fecit enim magnos quaestus ex ea propter crebros successus in vitiis difficillimis. Sed ne hic quidem ulli se vivo conpositionem dedit; post mortem autem eius Tiberio Caesari per libellum scriptum ad eum ⟨data⟩ et bibliothecis publicis posita venit in manus nostras, quam antea nullo modo extrahere potuimus, quamvis omnia fecerimus, ut sciremus, quae esset. Ipse enim clusus conponebat nec ulli suorum committebat, plura etiam quam recipit ipsemet contundi iubebat pigmenta fallendi suos causa. Hanc postea nos scivimus, quam [ut] sane in libello ipse fatetur non a se inventam sed usu exactiore conprobatam, ad quae vitia et cum quibus et quemadmodum data proficeret. Est enim

1 dolenti *M*: dolentibus *R*. 3 insertum *M*: infertur *R*. 7 ληξιπύρετος *Rhod.*: lexipyreas *L* ἀλεξιπύρετος *R*. 10 nasturci *L*: nasturcii *R*. 11 cum *M*: et cum *R*. 12 *post* frequenter *R male repetit* oportet, *M non item*. 15 ab *om. M*. Paccio *M*: Pacchio *R*; *cf. Gal.* XIII, 284. 16 Philonidis *M*: Philenidis *R*; *cf. Gal.* VIII, 748. 20 ad eum *om. M*. data *addidi e M*. *pro* posita *coniec.* positum *Rhod.* 24 etiam *Rhod.*: enim *R*. 26 quam *scripsi*: quae *R*. ut *inclusi*. in *M*: et *R*. 27 inventam — conprobatam *ego ex M*: inventa — conprobata *R*. 28 Est enim *M*: Etenim *R*.

non ignota, ponderibus tamen antiquis aut adiecit aut detraxit et res, quae in hac conpositione sunt, non utique conveniunt ad antiquas. Interdum enim earum quaedam plures etiam numero accipiunt atque ideo non idem praestant, cum interim haec mirifica temperatura conposita mirificos effectus habeat.

LXXXXVIII. Facit vero hoc medicamentum non solum ad lateris dolorem, sed etiam ad plura vitia efficaciter; quamobrem semper habeo id conpositum. Percurram autem quam brevissime, ad quae vitia et qualiter datum prosit, ut etiam in libello eius scriptum est et ego magna ex parte iam expertus sum.

LXXXXVIIII. Sanat ergo morbo comitiali correptos, quos ἐπιληπτικοὺς Graeci vocant, furiosos, quos μαινομένους dicunt; item sanat quibus subitis tenebris obscurantur oculi cum vertigine, σκοτωματικοὺς hos Graeci appellant, nec minus diutino correptis capitis dolore, quem κεφαλαίαν appellant, prodest, data pondere X duum ex aquae mulsae cyathis quattuor, cum remissi fuerint; et si frequenter quidem corripiuntur, post binas ternasve accessiones danda erit antidotos hiera. Hoc nomen enim tribuit ei duas propter causas, ut existimo: unam, ne eius nomen verum dicendo ostenderet, quae esset — dicitur enim a quibusdam πικρά, quia amara est, a quibusdam διὰ κολοκυνθίδος — alteram, quo magis sub tanta specie nominis commendaret medicamentum. Sed si ex longo intervallo accessionibus vexabuntur, in remissione dolorum saepius dandum erit medicamentum: ita enim aut ex toto remedio est aut certe minuitur cotidie impetus vitiorum et sedatur intervallaque maiora accipit et hoc ipso opportuniores fiunt ad veratri potionem, qua maxime haec vitia tolluntur. Dare autem his oportet secundum purgationem, bis enim aut ter spumosa et glutinosa deiciunt, ptisanae

7 vero hoc *M*: hoc vero *R*. 16 vertigine quadam *M*, *ut c.* 184. 188. 17 correptis *M*: correptos *R*. 18 κεφαλαίαν *scripsi*: cephalaeam *M* κεφαλαργίαν *R*. pondere *ego*: p°. *R*.

cremorem, holera lenia ex urtica, [et] lapatho, malva facta torpedine interdum admixta et cum exiguo pane, aquamque potui.

C. Facit bene haec conpositio ad suspirium et ad vocis abscisionem et subitas praefocationes ex qualibet causa ortas et ad eos, qui saepius existimantur ab incubone deludi; usque eo tamen vexantur, ut interdum vitae periculum adeant: est enim vitium non contemnendum, utique in processa aetate. Quibus dandum erit medicamentum proximo die eius noctis, qua correpti sunt, cum intervallum a somno fecerint et quod satis est ambulaverint, ex aquae hysopum aut marrubium incoctum habentis cyathis quattuor vel quinque pondere X unius vel victoriati, prout res postulaverit; deinde post horas tres quattuorve cremor ptisanae detur.

CI. Facit hoc medicamentum et ad eos, quorum musculi maxillares cum maximo dolore tensi sunt adeo, ut aperire os nullo modo possint: *τέτανον* hoc vitium Graeci dicunt; item facit ad depravatam faciem in utramlibet partem: *κυνικὸν σπασμὸν* hoc idem appellant genus morbi; praecipue vero ad pectoris et lateris dolores prodest ex qualibet causa factos sive latente et occulta sive manifesta, ut ex ictu, casu, conatu aliquo supra vires vel ponderis supra modum portatione vel contusione, quae frequenter gladiatoribus accidere solet in luctationibus et eorum maxime sauciatis, nec minus arbore alta delapsis vel scalis devolutis, excussis a rheda vel curriculo atque ita tractis. Sed his, id est manifesta ex causa vexatis, cum aceti cyathis tribus quattuorve danda erit antidotos; illis vero, qui ex occulta causa laborant, ex aqua mulsa proderit. Praeterea nervorum tensionibus mirifice convenit. Quamobrem facit et ad tremulos et sideratione temptatos

1 et *inclusi.* 11 est] sit *M.* 13 pondere X unius vel victoriati *scripsi*: X p°. I vel unius et victoriati *R* ad pondus denarii unius vel victoriati *M.* 16 et *ante* hoc *colloc. R*, *ego huc transposui.* 20 iidem *M.* 25 *verba* et eorum maxime sauciatis *in suspicionem vocavit Rhod.*, *om. M.* 27 a *om. M.*

utralibet: una enim cum contractione, altera cum remissione nervorum conspicitur; παράλυσιν hoc utrumque vitium Graeci appellant. Ad quod etiam, cum correpti sunt, prodest ex aquae mulsae cyathis tribus quattuorve datum medicamentum pondere X unius vel victoriati, admixto pondere victoriati castorei. Prodest et ad articularem morbum, quem ἀρϑρῖτιν vocant, et ad spinae totius lumborumque dolorem ex aqua mulsa datum ad vires cuiusque. Item ad podagram bene facit; nam et in praesentia detractione ipsa levat et in futurum omni molestia liberat. Dimidio enim celerius sanantur, qui acceperunt medicamentum, quam prius solebant.

CII. Quid dicam duritias in mammis mulierum cum dolore consistentes, quas nullum medicamentum levat, quemadmodum ex toto in perpetuum interdum sanat, quas plerique medicorum insanabiles adfirmant καρκινώματα et κακοήϑες appellantes? Poteram nominare honestas feminas, quas aut ille aut ego hoc medicamento sanavimus, nisi crederem fidem te habere nobis: alioquin ipse tibi iam dixissem.

CIII. Illud vero supra omnium opinionem est, quod ad stomachicos evidenter convenit, cum sit virosissimum medicamentum adversus stomachum ne ad lenia quidem et simplicia medicamenta apte dispositum. Sed videlicet in eiusmodi rebus potentior usus ratione est: expertus enim unus quisque intellegit stomacho quoque hoc medicamentum eximie prodesse. CIIII. Remediat enim eos, quibus frequenter inacescit cibus, et eos, qui adsidue inflationibus urgentur vel dolore eius vexantur aut adsidue nauseant aut saliva abundant vel inedia consumuntur stomachumque ita solutum habent, ut ex eo varios liquores

1 cum contractione *M*: ex c. *R*. 5 pondere X unius vel victoriati *scripsi*: X p°. I vel unius et victoriati *R* ad pondus denarii unius aut victoriati *M*. 7 et ad spinae totius *M*: ad spinam et totius *R*. 8 datum *M*: datur *R*. 17 κακοήϑη *Stephanus* cacoethes *M* κακοήϑεις *ad* duritias *relatum Rhod.* 26 intelleget *M*. 28 stomachi inflationibus *M*.

subinde respuant consentiente capite, ut nullum genus cibi continere possint. Item ad bilem atram generantes, quos *μελαγχολικοὺς* appellant, bene facit. Oportet autem non continentibus cibos secundum vomitum protinus oleo perunctis et diutius presse fricatis dare medicamentum pondere X I ex aquae cyathis tribus, deinde artus constringere et interdum olfactoriis reficere et commanducatione olivarum contusarum earumque rerum, quae stomachum constringere solent, interim subrectos, recubantes, deinde cum deiecerint, solutis vinculis rursus perunguere et fricare totum corpus atque ita varietate apta ciborum stomachum proritare, ut halica ex mulso ⟨et⟩ malorum Cydoneorum suco facto vel ex granatorum per se malorum vel si quos magis delectat, ex frigida posca; secundum quae apala ova proderunt et intubi cocti vel crudi ex aceto, item lactucae caules cum foliis ex posca decocti, conchula marina, purpurae, murices, pelorides, volva; pomorum sorba, mala orbiculata, Scaudiana, pira Crustumina, Signina olla reposita, item uvae ex olla. Haec enim et huiusmodi quae sunt confirmant stomachum, quibus et insequentibus diebus uti oportebit paulatim ad consuetudinem progredientes, donec prope omni molestia aegri liberentur.

CV. Est stomachi vitium, quod cum siccitate et ardore eius et inrequiebili, ut ita dicam, et inextinguibili siti consistit: *ἔγκαυσιν* Graeci vocant ab eo, quod exsiccat omnem stomachi humorem. Scimus quosdam urnas aquae bibisse neque ideo sitim aliqua ex parte in praesentia conpescuisse. Ad hoc p. X I vel victoriati datum ex aquae

6 pondere *scripsi*: p°. *R.* 7 olfactariis *RM.* 9 suberectos recubantesque *M.* 12 et *addidi*, aut *M.* 13 Cydoneorum *M*: Cydoniorum *R.* *an* facta? 17 volema *Ruellius in calce editionis* volua *in contextu* vulva *M* volema *post* pira *collocabat Rhod.*; *sed de suis vulva stomacho aptissima cf. Cels.* 2, 24. 18 Scaudiana *scripsi*: scandiana *M* scauriana *M.* 19 Signina *M*: Segnina *R.* 22 progredientes *M*: progredientem *R.* aegri *om. M.* 26 eccausin *M*: *ἄτονον R.* 29 aquae frigidae cyath. duobus *M*: aquae cyath. duobus frigidae *R*; *cf.*

frigidae cyathis duobus ita prodest, ut facile abstinere ab aqua proximis diebus possint. Lienosis vero ex posca et iocineris duritiam habentibus diutinam ex aqua mulsa satis convenit nec minus hydropicis, quibus datur eadem ratione; sed his per conplures dies oportebit ptisanae cremorem sine ullo liquore dari.

CVI. Prodest conpositio haec et colo inflato et ceteris intestinis. Futuras quoque vel iam factas vomicas iisdem partibus aut discutit aut celerius aperit; item menstrua movet mulieribus, quae difficulter purgantur. Dandum autem erit his ex aqua medicamentum, in qua decoquitur herba, quae artemisia dicitur aut quam *δίκταμνον* appellant. Etiam ad papulas et sacrum ignem vel quam zonam vocant bene facit ex aqua mulsa detracto prius sanguine, si res postulaverit, ut et in aliis omnibus superius dictis faciendum est. Omnia enim auxilia adhibenda sunt, quae ex usu prodesse eis comperta habemus, quia facilius adiuta antidotos adiuvabit et effectus exhibebit. Recipit autem haec: Stoechados, marrubii, *χαμαίδρυος*, quae herba similia quercus folia habet, agarici, cucurbitulae silvestris, quam *κολοκυνθίδα* appellant, singulorum p. X̶ X, opopanacis, sagapeni, petroselini, terrae mali, piperis albi, singulorum p. X̶ V, cinnami, nardi spicae, murrae, folii, croci, singulorum p. X̶ IIII. In unum omnia ponderata contunduntur et cribrantur, praeter opopanacem et sagapenum: haec enim mortario teruntur adiecto melle tenui, id est quam liquidissimo; deinde ceteris miscentur, quae et ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad conprehendenda et continenda ea. Reponitur medicamentum vaso vitreo. Datur, ut supra diximus, ad cuiusque vires et est prorsus sacrum, ut auctor huius nominis appellat.

CVII. Si quando autem efficaciore eo voluerimus uti propter difficultatem naturalem vitiorum aut diuturnitatem,

c. 108 *s. f.* 3 iocineris *M*: iocinerosis *R*; *cf. c.* 89. 11 in qua *M*: in aqua *R*. 19 Stoecados *R*. 20 quercu *M*. 25 praeter *M*: praeterea *R*. opopanacem *M*: opopanaces *R*; *at cf. c.* 262. 31 appellavit *M*.

ut in furiosis aut comitiali morbo correptis vel lumborum perpetuum dolorem habentibus, podagra correptis vastius, cucurbitae silvestris adicimus ad superius dicta pondera p. X XX, opopanacis atque sagapeni, singulorum p. X III. Quamobrem utraque parata debent esse medicamenta, ut, cum opus fuerit, usus alterutrius in promptu sit. Illud utique credas interim velim mihi, dum in aliis expertus persuadeam, hoc medicamentum non solum non nocere stomacho, verum etiam reficere et confirmare eum supra omnium opinionem.

CVIII. Medicamentum, quod proprie adversus solutionem stomachi facit et fluorem eiusdem, maxime vero cum nihil cibi retinere possunt, sed quidquid datum est, reiciunt: Masticbes Chiae candidae pondo libra, tragacanthi albi pondo libra, Apollinaris herbae radicis uncia. Contunditur tragacanthum cum radice, postea mastiche adicitur. Reponitur in vitreo vaso. Dantur, cum opus est, coclearia tria secundum vomitum per se factum ex aquae frigidae cyathis tribus.

CVIIII. Ad stomachi dolorem et inflationem: Palmarum p. X XL, anethi p. X IIII, croci p. X II, git p. X II, asari p. X II, murti nigrae bacarum p. X IIII, iuniperi grana numero viginti. Contunduntur seorsum omnia et in unum miscentur; deinde fiunt pastilli pondere X I, alii victoriati. Dantur ieiuno ex aquae cyathis quattuor aut ex Cretico musto, quod est passi genus.

CX. Medicamentum siccum ad stomachi inflationem et dolorem et inediam; movet urinam ideoque facit et ad hydropicos et iecur durum habentes, ⟨et ad⟩ auruginem, quam quidam regium, quidam arquatum morbum vocant; refertur in Musam Antonium. Recipit autem haec: Aloes pondo assis trientem, croci, cinnami, nardi Syriacae

3 adiciemus *M.* 7 dum in aliis rebus ipse vim eius experiris *M.* 10 omnium *M*: omnem *R.* 13 quicquid *R.* 22 asari *M*: et asari *R.* 24 pondere *scripsi*: p°. *R.* alii *M*: aliis *R.* 26 Cretico] protropo *M.* 28 movet et *M.* 29 et ad *addidi e M.* auriginem *R.*

spicae, asari, xylobalsami, mastiches Chiae, singulorum p. Ӿ VI. Tunditur et vitro reponitur. Dantur coclearia duo vel tria ex aquae cyathis tribus.

CXI. Ad coeliacos, id est, qui subito et multa deiciunt, item et ad alvum citatam et interdum levia tormina: Sorborum aridorum contusorum sextarius unus, rhus Syriaci, quo coci utuntur, sextarii duo, mala granata recentia decem, item mala Cydonea decem. Haec utraque coniciuntur in sapam factam ex musti adhuc in dolio ferventis sextariis triginta sex ad duodecim sextarios decoctam, donec malorum coria percoquantur, ut sint madida; deinde teruntur haec fictili mortario, ut grana comminuantur [quibus deinde Cydonia admiscentur et aeque teruntur]. Postea rhus et sorba arida admiscentur cribrata curiose sapae, quae residua est, et omnibus in unum bene coactis reponitur medicamentum in vitreo vase. Dantur autem inde ieiunis in diem ligulae binae vel ternae per se.

CXII. Sin autem gravior morbus insedit, hic datur pastillus ad coeliacos et torminosos optime faciens: Balausti, hypocistidos, ⟨opi⟩ pridie aqua macerati pondo sextans, alterci seminis, cretae Samiae, singulorum pondo uncia; vino myrtite adiecto fiunt pastilli pondere Ӿ unius aut victoriati. Dantur ieiuno sine febre ex vino myrtite aut Signino, cyatho uno cum duobus aquae mixto, febricitantibus ex aquae cyathis tribus. Hic etiam incitata libidine ipsius morbi [pastillus, sive plures] dilutus aqua calida, vino, oleo per clysterem inmittitur; statim somnus

5 et ad levia interdum *M.* lenia *R.* 6 S II *L.* 7 quo coci utuntur *M*: coquuntur *R.* 8 cidonea *L*: cydonia *R.* cocuntur in sapa facta *L.* 12 *verba* quibus deinde Cydonia admiscentur et aeque teruntur *quae M omisit tamquam aliena uncis circumscripsi.* 13 rhus *M*: rursus *R.* 16 vaso *M.* 19 *initium huius compositionis integrum non est*; *M enim habet*: acaciae, balausti, hypocystidos, opii singulorum denarios quinos. balausti *L*: balaustii *R.* 20 hypocystidos *L.* opi *addidi.* 22 pondere *scripsi*: p°. *R.* 25 Hic *scripsi*: Hoc *RM.* 26 pastillus sive plures *om. M*, *inclusi.* dilutus *ego*: diluti *R.* 27 clysterium *M.*

consequitur, quotiens desurrexerint torminosi, qui graviter adflicti sunt, et utique prodest.

CXIII. Alius pastillus ad torminosos efficacior: Acaciae p. X IIII, croci p. X II, gallae p. X VIII, hypocistidis p. X IIII, lycii p. X IIII, murrae p. X IIII, rhus, quo coci utuntur, nardi spicae Syriacae, aloes, singulorum p. X II, anesi, commis, singulorum p. X IIII, piperis nigri p. X II. Tunduntur, teruntur, cribrantur ex suco cauliculorum rubi vel ex vino Signino collyrii tritura. Cum fuerint haec levia, ut ungui nulla pareat aspritudo, finguntur pastilli pondere X I, alii pondere victoriati. Datur unus ieiuno ante meridiem, alter in noctem ex aqua, si febres erunt: ex vino Signino, si sincere corpus erit. Hoc efficax est medicamentum et si cetera, quae debent, sentiente eius valetudine recte adhibita fuerint, utique sanat.

CXIIII. Pastillus item, qui clysterio inmittitur torminosis per anum, cum sordida et sanguinulenta deiciunt, id est cum intestina eorum cancer occupavit; quo quasi cauterio tunc tantummodo uti oportet, alioqui nocet, ideoque a quibusdam ignorantibus eius usus accusatur quasi nocuus. Recipit autem haec: Chartae conbustae cineris p. X XXX, calcis vivae p. X XXIIII, ἀρσενικοῦ, quod est auripigmentum, p. X XII, sandaracae p. X VI. Haec trita vino consperguntur, in quo rosa et lentes prius incoquuntur, ut possint fieri pastilli pondere X duum aut unius. Cum opus est, teritur unus pastillus et inmittitur per aquam decoctam rosam et lentem habentem, si febricitabunt: sin minus, ex vino eadem incocta habente. Facit

1 quotiens *L*: quoties *R*. 4 hypocystidos *L* hypocystidis *R*. 5 rus *R*. coqui *R*. 9 collyria formantur ritu eorum, quae ad oculos fiunt *M*. 10 levia *scripsi*: lenia *R*. ut *M*: aut *R*. pareat *L*: appareat *Cornarius* pateat *R*. 11 pondere *ego*: p°. *R*. alii *scripsi*: aliis *R*. pondere *scripsi*: pondo *R*. 14 consentiente *Rhod.* 15 sanat *scripsi*: sanant *R*. 16 item *om. M. et R in indice.* inmittitur *L*: imm. *R*. 17 sanguinulenta *L*: sanguinolenta *R*. deiciunt *M*: eiciunt *R*. 21 nociuus *L*. conbustae *L*: comb. *R*. 22 arrenici *L*. 25 pondere *ego*: p°. *R*. 26 inmittitur *L*: imm. *R*.

et murti fasciculus cum oleastri vel olivae ramulis utroque modo, prout res exegerit, incoctus.

CXV. Potio autem, [id est pastillus] cum inmissum fuerit medicamentum, sic convenit in noctem: Murrae p. X II, lycii p. X III, turis p. X I, opi p. X II, aloes p. X II, acaciae p. X IIII, murti bacarum nigrarum p. X XVI, ovorum ex aceto coctorum vitelli duo. Haec trita vino Surrentino consperguntur et fiunt pastilli pondere X I. Dantur febricitantibus ex aquae cyathis quattuor, ⟨sine febre⟩ ex musti Surrentini cyathis duobus.

CXVI. Ad *εἰλεόν*, quod vitium est inflatio tenuium intestinorum, facit bene galbani pondus victoriati; devoratur in pilulas divisum duas vel tres. Movet et ructum et interdum deicit ventum deorsum atque ita prodest.

CXVII. Ad idem vitium mirifice prodest hoc medicamentum; facit autem ⟨et⟩ ad lateris dolorem et ad omnem partem corporis: Dauci seminis, panacis radicis, castorei paria pondera, rutae silvaticae dimidium; tritis vel contusis mel decoctum adicere oportet, inde dare p. X I aut victoriati ex aquae caldae cyathis tribus.

CXVIII. Facit et ad huiusmodi per anum inmissum faenum graecum; id aqua bene coquere oportet atque inde sumere heminam; item in oleo domestico incoquere rutam quam plurimam et hinc caldam heminam adicere priori aquae, quibus utrisque admiscere aphronitri triti sescunciam et ita per clysteria caldam inmittere. Hoc ego iam stercus per os eicientem, quod signum mortiferum est,

1 utroque modo *M*: utrorumque modo *R*. 2 exegerit *M*: exigeret *R*. 3 *verba* id est pastillus *glossema esse vidit Rhod.* inmissum *L*: immissus *R*. 4 haec *pro* sic *M*. 5 opi *L*: opii *R*. 6 myrtae *L*. 8 pondere *ego*: p°. *R*. 10 sine febre ex musti Surrentini *M*: permixti Surrentini vini *R*; *an legendum*: sine febre ex aquae cyathis II permixtis Surrentini vini cyathis duobus? 11 ileon *L*. 12 pondus *scripsi*: pondo *R*. 13 et] enim *L*. 16 et *addidi e L, om. R*. 17 corporis interioris, accipit haec *L*. 21 *an* huiusmodi vitium? 22 faenum *L*: foenum *R*. 25 admisceri convenit *L*. 26 per clistere *L*. 27 eicientem *L*: deicientem *R*. signum *L*

sanavi unguentarii cuiusdam servum. Est autem vitium εἰλεὸς periculosissimum et ideo inter praecipua refertur. Quamobrem non utique cum magna fiducia ad hoc genus vitii adgredi debemus.

CXVIIII. Ad coli inflationem bene facit cumini silvatici semen per se, ut est, datum, quantum coclearia tria, in aquae caldae cyathis quattuor.

CXX. Nam Cassi medici colice bona, multis nota propter effectus, vera haec est, ut ab eius servo Atimeto accepi, legato Tiberi Caesaris, quia is eam solitus erat ei conponere: Apii seminis pondo selibram, anesi pondo quadrantem, castorei pondo sextantem, murrae pondo quadrantem, spicae nardi Indicae pondo sextantem, opii pondo quadrantem, croci pondo sescunciam, piperis longi pondo sextantem, piperis nigri pondo semunciam, petroselini pondo sextantem, schoeni pondo sescunciam. Haec omnia contusa, cribrata, melle Attico decocto miscentur. Datur ex hoc medicamento, quantum nux avellana media patet, ex aquae calidae cyathis tribus. In ipsis doloribus statim prodest. Item facit medicamentum cerati ex malobathro [ex] duabus partibus et cerae uni mixtum et extra inpositum in ventrem totum. Praeterea bene facit et ad stomachi inflationem et ad suspirium et ad iocineris dolorem, tussim, destillationem.

CXXI. Colice mirifica Iulii Bassi cito levat, deinde

Rhod.: si non *R.* 2 ileos *L.* 4 adgredi *L*: aggredi *R.* 8 Cassi *L*: Cassii *R*; *cf. Gal.* XIII, 276. 9 Admeto *L.* 10 legato] liberto *Pignorius* legato (*sc. testamento*) Tiberio Caesari *Lipsius* ex legato *Buecheler.* Tiberi *L*: Tiberii *R.* qui eam solitus erat componere sic *L.* 15 piperis nigri pondo sextantem semunciam *R*, semunciam *del. Rhod.*, *ego* sextantem, *L enim* semunciam *praestat.* 17 decocto *L*: decocta *R.* 18 avellana *L*: abellana *R.* media patet *om. L.* 19 calidae *transposuit Rhod.*, *post* tribus *colloc. R.* 20 facit *huc transposui*, *post* malobathro *colloc. R*; *L habet haec*: id est medicamentum ceroto ex malobathro facto duabus partibus mixtum et totum extra inpositum in ventrem plurimum iuvat. 21 ex *inclusi.* uni *scripsi*: unius *R.* 24 et ad tussem et ad uvae destillationem *L.* 25 Iulii Bassi] *cf. Gall.* XIII, 280.

tollit inflationes coli et omnis partis corporis; facit et ad stomachi imbecillitates et ad intestinorum alioqui dolorem, quem Graeci στρόφον appellant, ex aqua hysopum aut rutam decoctam habente. Item bene facit ad sanguinem et ex interiore parte: non enim patitur late fieri nec intus vulnus converti, sed cito supprimit sanguinem et vulnus cogit coire. Dandum autem his medicamentum ex aqua polion incoctum habente aut rutam. Prodest et torminosis et coeliacis datum ex aqua centunculum herbam incoctam habente, quam Graeci γναφαλίδα dicunt, vel sorba vel siliquam Syriacam. Lienosis datur ex mulso vel passo aquae mixtis. Eodem modo dandum est et eis, qui sanguinem per urinam vel alvum reddunt, nec minus etiam mulieribus, quae fluore sanguinolento infestantur, quod ῥοῦν ἐρυθρὸν Graeci dicunt, vel ex partu abortuve [quae] residuos vulvae dolores habent, et in totum, quibus supprimendus est fluor aut ex aliqua parte corporis inflatio tollenda. Recipit autem haec: Spicae nardi, costi, piperis albi, piperis nigri, piperis longi, murrae, opii, Apollinaris radicis, [et] cinnami, asari, acori, turis, brassicae seminis, castorei, singulorum p. X̶ XII, opopanacis p. X̶ X, stoechadis, dauci, ami, singulorum p. X̶ XVIII, seselis Cretici p. X̶ XXIIII. Mel Atticum miscetur; datur non plus quam X̶ pondus aut victoriati; ceterum prout cuiusque vires postulabunt, dummodo infra hoc pondus, ex aquae caldae cyathis tribus in noctem secundum cenam. Haec potio etiam febricitantibus tuto datur, sed coeliacis in ipso dolore prodest. Vitreo vase servatur.

CXXII. Ad coli dolorem faciunt quidem mirifice, quae superius posita sunt, sed cetera medicamenta in aliis vitiis dolorem levant in praesentia, hoc vero quod dicturus sum, supra hominis spem condicionemque est. Ideo primo tempore ne fidem quidem habet, postea a nullo satis digne laudari potest. Nam et in praesentia dolorem tollit et in

8 polion incoctum *scripsi*: πόλιον coctum *R*. 15 quae *inclusi*, *post* vel *transposuit Cornarius*. 19 et *delendum*. 21 ami *Georges*: amii *R* ameos *Cornarius*. 23 pondus *Cornarius*: p°. *R*. 33 praesenti *L*.

futurum remediat, ne umquam repetat. Raro enim quis iterum vel ad summum tertio hoc accepto medicamento vexatus est. Quamobrem si quando repetierit iterum dolor, dandae erunt per triduum et tunc potiones eodem modo, quo primae datae fuerint. Interdum et tertio in dolore eodem genere potiones dabuntur, quod ⟨raro⟩ accidit; post hoc utique in futurum quoque remediat, ita ut ne suspicio quidem ulla relinquatur vitii. Si quando tamen frigus aut multitudo cibi praecesserint, gravitatem quandam et torporem eius loci sine ullo dolore sentiunt, plane ut intellegant quasi, quanto malo caruerint. Hoc medicamento muliercula quaedam ex Africa Romae multos remediavit. Postea nos per magnam curam conpositionem accepimus, id est pretio dato, quod desideraverat, et aliquot non ignotos sanavimus, quorum nomina supervacuum est referre. Constat autem medicamentum ex his rebus: Cervi cornua sumuntur, dum tenera sunt, quasi in taleas breves divisa olla fictili conponuntur operculoque superposito et argilla undique circumdata fornace uruntur, donec in cinerem candidissimum redigantur atque ita in vaso vitreo mundo reponuntur. Cum dolorem habet aliquis, pridie quam poturus est medicamentum, debet abstinere ab omni re atque ita postero die sumuntur ex cornibus coclearia tria cumulata satis ampla, quibus miscentur piperis albi grana novem trita et murrae exiguum, quod odorem tantummodo praestare possit. Haec cum in unum commixta sunt mortario diligenter, coclea vera Africana, id est inde adlata, sumitur quam potest amplissima et viva mortario cum sua testa contunditur atque ut est teritur, donec nullum vestigium appareat testularum. Postea vini Falerni

1 ne *L*: ne eum *R*. 6 raro *addidi e M*. 7 hoc *scripsi*: hanc *R*. remediat *scripsi*: remediatur *R* remediabit *M*. 8 vitii *Boettiger*: vitiis *R*. 10 torporem *M*: priorem *R*. 12 Romae ex Africa *R*, *transposui*. 16 Cervi cornua] *Haec compositio a Galeno* (*vol.* XIII, 284) *ad Paccium Antiochum auctorem refertur*. 18 et *M*: ex *R*. 27 vera *M*: vero *R*. id est inde adlata *Rhodio suspecta visa sunt*.

non saccati cyathus adicitur et nihilo minus rursus teritur: magis enim tunc apparent residendo aspritudines, si quae reliquae sunt; quibus levatis iterum adiciuntur cyathi duo eiusdem vini atque ita prioribus bene admiscentur, transfunduntur que cum his, quae sunt in mortario, calice novo et super carbones inponitur, movente aliquo cocleario liquorem, ne quid subsidat et peruratur. At ubi bene incaluerit, iniciuntur in eundem calicem quae supra dixi coclearia tria et permovetur. Cum autem calore temperata est potio, datur obducenda; statim dolorem levat. Hoc facere oportebit per insequens biduum capientem cibi in prandio aut alio tempore exiguum, quod facile conficiatur, ne crudus sumat medicamentum. Postea in consuetudinem victus sui, qui colo infestabatur, dimittatur. Oportet tamen non indifferenter remediatos in futurum vivere: tametsi enim a coli dolore tuti sunt, metuere nihilo minus debent, ne alia parte corporis aeque adficiantur ob intemperantiam ⟨quam⟩ colo, antequam remediati erant.

CXXIII. Ad tumorem et dolorem iocineris, item ad duritiem facit bene lupi iecur primum in aqua ferventi demissum atque ita arefactum. Quantum victoriatorum pondus trium, ex aquae caldae cyathis tribus per aliquot dies dabis.

CXXIIII. Item bene facit ad duritiam iocineris veterem cunilae aridae, quam satureiam quidam vocant, contusae p. X unius vel victoriati cum mulsi cyathis duobus vel totidem aquae.

CXXV. Proficit mirifice haec conpositio ad tumorem

2 aspritudines *L*: amplitudines *R*. 4 transfunduntur(que) *M*: transfunditurque *R*. 5 in calicem novum *M*. 6 super *scripsi*: supra *R*. 10 est *Rhod.*: erit *M* et *R*. obducenda *P. Leopardus*: abducenda *R*. 13 consuetudinem *Cornarius*: consuetudine *R*. 14 remittatur *M*. 18 ob *M*: ad *R*. quam *addidi*. colo *ego*: coli *R*. 19 erant *scripsi*: erunt *R*; *M haec habet*: ob intemperantiam, ob quam utique colo fuerant ante vexati. 22 demissum *ego*: dimissum *R*. 23 pondus *scripsi*: pondo *R*. 26 cunillae *R*. 28 vel *M*: et *R*.

et [ad] dolorem cum duritia iocineris et lienis; item ad renium dolorem bene facit. Nam colorem corporis restituit, qui propter vitia dictarum partium corrumpitur pallidusque conspicitur. Prodest hoc idem medicamentum etiam ad aquae mutationes: Croci p. 𐆖 X, nardi p. 𐆖 II, casiae p. 𐆖 II, costi p. 𐆖 I, schoeni p. 𐆖 I, cinnami p. 𐆖 I, murrae stactae p. 𐆖 I, mellis optimi p. 𐆖 XXV. Datur quantum faba Aegyptia in mulsi mixti cyathis quattuor. Vitreo vaso servatur.

CXXVI. Ad iocineris duritiam veterem, hydropicos, lienosos, arquatos et quibus opus est urina; item ex partu residua mulieri purgat et vulvae dolorem tollit, sic: Anesi p. 𐆖 VIII, dauci p. 𐆖 III, petroselini idem, iuniperi idem, silis ⟨idem⟩, tragacanthi pondo selibra, panacis p. 𐆖 VIII, iris, murrae, costi, amomi, singulorum p. 𐆖 VI, cinnami p. 𐆖 III, casiae p. 𐆖 III, smyrnii, quod est semen olusatri, p. 𐆖 VIII, nardi Syriaci p. 𐆖 IIII, acori p. 𐆖 X, balsami seminis p. 𐆖 VI, opii p. 𐆖 V, ervi moliti sextarii bes, scillae coctae pondo triens, vini Chii aut Lesbii quod satis erit. Pastilli fiunt pondere 𐆖 duum.

CXXVII. Ad auruginem, quod vitium arquatum quidam vocant, capreae montanae stercus arefactum et tritum adiecta mica murrae ex vini meri cyathis tribus: si febricitabunt, ex aquae totidem. Item rumicis radices tres aquae tribus heminis incoctae, donec sextarius relinquatur; inde cyathi quattuor per triduum dantur.

CXXVIII. Lienosis bene facit tamaricum longe a mari collectum et arefactum et contusum pondere 𐆖 unius aut victoriati datum ex aqua vel ex posca. Prodest et inula arida Campana eodem modo contusa et cribrata ex

1 ad *om. M et R in indice.* 3 supra dictarum *M.* 4 idem *M*: item *R.* 8 mulsi mixti *scripsi*: musti mulsi *R*; *cf. c.* 153. 13 idem *M*: item *R.* idem *M*: item *R.* 14 idem *post* silis *om. R*, *addidi e M.* 15 cinnami *M*: cumami *R.* 17 Syriacae *M.* 20 pondere *ego*: p°. *R.* 21 auruginem *Aldus*: auriginem *R.* 28 et *ante* arefactum *om. M.* pondere *scripsi*: p°. *R, item infra.* 30 inula campana arida *Rhod.*

vini mixti cyathis quattuor pondere X unius data. Mirifice facit et ammoniacae guttae pondus victoriati cum cauliculis tribus rubi ex aceto datum per dies quinque: tollit enim ex toto duritiam.

CXXVIIII. Potio ad lienosos: Balani, qua unguentarii utuntur, p. X II, costi p. X I, capparis radicis p. X I, hederae nigrae bacarum p. X II, περικλυμένου, quam silvae matrem vocamus, pondus victoriati, galbani p. X VIII, cardami nigri, id est nasturcii, seminis p. X II et victoriati, piperis nigri p. X I, scillae coctae p. X XII. Haec omnia colliguntur scilla, fiunt globuli. Dantur pondere X duum vel unius ex melle et aceto mixtis cyathis quattuor aut tribus. Eadem facit ad hydropicos bene ex aqua mulsa, urinam movet.

CXXX. Lienosos sanat extra inpositus sinapis sextarius unus detritus adiecto sextario uno lentis aceto coctae. Oportet autem inpositum esse medicamentum, donec dolorem pati non possint; postea solio caldo demittantur, ubi plures eos contineant, dum desinat dolor; alioquin exilient: maior enim fit dolor calda tactis; postea ceratum ex rosa inponere oportebit.

CXXXI. Aliud eadem ratione inpositum melius facit: Sinapis sextarius, git cyathi duo, nasturcii cyathi quattuor, myrobalani corticis cyathi quattuor, piperis cyathi duo. Sinapi aceto acri pridie maceratum, deinde tritum, contusis ceteris miscetur. In panno inlitum medicamentum inponitur, fascia quam longissima alligatur plurimum in unum commissa, quo tardius solvatur. Hoc est efficacissimum et multorum annorum tollit duritiam. Sed post

2 pondus victoriati *scripsi*; X p°. victoriati *R*. 7 periclymeni *M*. 8 pondus v. *ego*: X p°. victoriati *R* 9 cardami id est nasturcii nigri seminis *Rhod.* 11 scilla] melle *Rhod.* ex melle *M*. pondere *ego*: p°. *R*. 14 *fortasse* urinam enim m. 16 ex aceto *M*. 18 demittantur *M*: dimittantur *R* 19 ubi *M*: ut *R*. 20 alioqui *M*. 26 contusis *M*: contusum *R*. 27 fasciaque long. *M*. plurimum] vel pluribus in unum commissis *M*.

hoc si quae reliquiae remanserint, ammoniaco tollendae erunt et rubo.

CXXXII. Infantibus lienosis dare oportebit aquam, in qua candens ferrum demissum est, vel lac caprinum capra tantummodo hedera pasta. Proderit his et sinapis sicca contusa cerato mixta et gypsum aqua conspersum extra inpositum et acetum, in quo tamaricum decoctum fuerit, vesica abditum et ita extra inpositum.

CXXXIII. Ad hydropicos, cum iam distenti sunt propter aquae multitudinem — initio enim alia via prodest — bene faciunt chameleae, quae herba est simillima olivae, folia quinque vel sex, etiam si arida fuerint, data ex aquae mulsae cyathis tribus, salis cocleario adiecto: largiter enim aquam ducit. Item squama aeris, quam λεπίδα Graeci vocant, pondere victoriati data cum apii seminis pari pondere ex aquae mulsae cyathis quattuor, plurimum autem aquae deicit. Datur et radicis sucus ex vini mixti cyathis tribus. Oportet vero secundum purgationem spongeis novis totum ventrem ex aceto et sale eiusdem mensurae diluto et infervefacto inponere et constringere extra instita longa cibosque assae carnis dare cum pane azymo fricantem totum corpus sale ⟨et⟩ oleo paribus mensuris, vini meraci quod satis erit dantem.

CXXXIIII. Bene facit ad hydropicos haec conpositio et maxime in initiis, quorum sufflatum corpus est, ὑπὸ σάρκα quod Graeci vocant: Vitis albae radicis p. 𐆖 XX, cocci Cnidii p. 𐆖 IIII, scillae bulbi cocti detracta exteriore parte p. 𐆖 X, murrae p. 𐆖 VIII, ⟨adiectis⟩ cumini cyathis tribus, anesi cyathis tribus, vini Falerni sextariis duobus,

3 infantibus *M*: inflatibus *R*. 4 demissum est *scripsi*: dimissum *omisso* est *vocabulo R* dimittatur *M* 5 his et *M*: et his *R*. 6 et gypsum aqua conspersum extra inpositum *Rhod.*: extra inpositum et gypsum a. cons. *R*. 14 squama *Rhod.*: squamae *R*. 15 pondere *scripsi*: pondo *R*. 18 mixti *scripsi et huc transposui*: mixtis *post* tribus *colloc. R*. 19 spongiis *R*. ex sale aceto eiusdem mensurae diluto *Rhod.* 22 ⟨et⟩ *addidit Rhod.* 23 dare *Rhod.* 28 adiectis *addidi*: additis *vel* cum *Rhod.*

passi sextario uno. Praeter murram omnia contusa, non cribrata, macerantur passo et vino nocte et die; postridie colatur liquor, cui murra trita admiscetur. Ex quo cyathus datur a balneo alternis diebus singulis adiectis cyathis, donec profectus intellegatur. Oportet autem his diebus dare eis cibos assae carnis agrestis aut volucrum ac vinum austerum meraculum.

CXXXV. Quoniam interdum res postulat et per alvum detrahi materiam, ut diutius lippientibus secundum sanguinis detractionem, scabiem, ignem sacrum, papulas habentibus et alia eiusmodi circa cutem summam, non alienum iudicavimus horum quoque genus exponere. Sed prius exponemus, quae alvum mediocriter molliant simpliciaque sint.

Mollit ergo alvum herba Mercurialis lenibus holeribus quam plurima mixta, item nitri victoriati pondus cum resina terebinthina avellanae nucis magnitudine devoratum. Calices quoque eis incrustentur additis quinque vel sex salis farrisque granis, apii seminis paribus mensuris: ex his qui vinum non austerum praebiberit, quantum possit ante cibum et inter prandium vel cenam, belle alvum mollit. Item ovilli lactis sextario si quis adiciat cnici purgati p. X̶ IIII, molliet ventrem. Quidam tribus heminis vini adiciunt aloes victoriati pondus vel idem pondus duobus tribusve sextariis vini et ita totum per partes aqua mixtum bibunt. Videtur autem vinum vetustius ventremque cum eo satis mollit. Facit autem aloe per se victoriati vel X̶ pondere ex aquae cyathis tribus frigidae vel calidae perducta.

3 Ex *ego*: a *R* 4 datur *Rhod.*: datus *R.* 7 ac *Rhod.*: aut *R.* 13 molliant *M*: molliunt *R* simpliciaque *Boettiger*: simplicia quae *R.* 14 sint *M*: sunt *R.* 15 levibus *M.* holeribus *L*: oler. *R.* 16 resina terebinthina *M*: resinae terebinthinae *R.* 17 devoratum *scripsi*: devoratur *R.* 19 ex his *Rhod.*: et is *R.* 23 molliet *M*: mollit et *R*; *interpunctionem correxi.* Quidam *M*: quidem *R.* 24 adiciunt *M*: ut *R.* pondus *scripsi*: pondo *R.* 28 pondere *M*: p°. *R.* 29 perducta *Boettiger*: perductae *R* epotata *M.*

CXXXVI. Purgat ergo belle chamelea, quae herba olivae folia similia habet, quorum quinque vel sex dare oportet, trita ex aquae mulsae cyathis IIII frigidae, si adsuetus erit, sin minus calidae adiecto ⟨salis⟩ coceario: detrahit enim aquam largiter.

Biles purgat et filicis radix lota et rasa atque in minimas particulas concisa quantum placet aceto aspersa, cocta ut solet, ⟨et⟩ ita cum panis quadrante consumpta.

CXXXVII. Bene purgat et haec conpositio: Aloes victoriati pondus, colophoniae victoriati pondus una teruntur; adicitur mellis quod satis est ad colligenda ea. Datur ex aquae calidae vel frigidae cyathis quattuor. Hoc medicamentum stomachum non conrumpit.

CXXXVIII. Globuli mirifice purgantes, qui ut sumuntur, ita integri deiciuntur nec laedunt stomachum: Colophoniae p. X VIII, bdellii p. X II, commis p. X I. Haec trita suco lactucae colliguntur et finguntur pilulae fabae magnitudinis. Dantur a tribus pilulis usque ad septem, prout unius cuiusque vires patiuntur.

CXXXVIIII. Globuli, qui etiam cenatis dantur et efficiunt mane deici, quod satis sit: Colophoniae p. X III, aloes p. X IIII, tragacanthi p. X II. Hoc pridie aqua maceratur, postero die ceteris admiscetur; fiunt inde globuli fabae magnitudinis. Dantur a tribus usque ad septem, prout cuiusque vires patiuntur. Stomachum nullo modo vexant.

CXL. Ad taenias necandas ⟨et⟩ eiciendas per triduum alium plurimum edat et veteratum caseum mollem; secundum hoc filicis Macedonicae aridae contusae et cri-

1 chamaelea *L R.* 4 sin *L*: si *R.* salis *addidi e M.* cocliario *L.* 7 adspersa *M*: aspersas *R.* 8 cocta *M*: condito *R.* et *addidi e M.* panis *M*: pondo *R*; *an* panis pondo? 10 colophoni *L*: colofoniae *R.* 11 est] sit *M* 13 conrumpit *L*: corrumpit *R.* 15 colophoni *L* colofoniae *R* 18 a tribus *M*: paribus *R.* 20 cenanti *L.* 21 colophoni *L* colofoniae *R.* 27 taenias *Rhod.*: tineas *L R.* et *addidi e M.* 28 aleum *L.* 29 aridae contusae *M*: contusae aridae *R.*

bratae p. X VIII, cum melle, quantum ipse voluerit, consumat. Post horas quattuor detur ei aloes et scamoniae singulorum victoriati pondus ex aquae mulsae cyathis quattuor; cum coeperit desurgere, aqua calda supponatur. Licet et sine oleo pridie incenato dare utraque medicamenta.

CXLI. Ad lumbricos satis commode facit et Santonica herba, quae non viget, et cornum cervinum limatum lima lignaria, quantum quattuor vel quinque coclearia, ex aquae myxorum decoctorum cyathis tribus pridie maceratum, deinde tritum et datum aqua exigua adiecta.

CXLII. Tenesmos est inritatio ultimae partis directi intestini, in quo vitio saepius libet desurgere sine causa. Proderit ad hoc, quotiens desurrexerit, vino austerissimo et aqua calida fovere vel verbenis ex murti et olivae ramulis factis ita, ut duae partes murti sint. Quin etiam penicillum intinctum et non nimis expressum ex alterutro eorum ano adpositum proderit habere vel eodem modo glomus staminis albi: diutius enim vaporem continet. Perunguendus erit anus specillo lycio Patarico vel Indico, vel hoc collyrium iniciendum, quod ad omnem deiectionem et tormina bene facit: Acaciae, mali granati corticis usti, singulorum p. X IIII, hypocistidis, rhus, quo coriarii utuntur, opii, singulorum p. X VI, omphaci p. X IIII et victoriati, croci p. X IIII. Vino austero colliguntur, fiunt collyria magnitudinis nucleorum pineorum.

CXLIII. Ad renium tumorem et exulcerationem, etiam si sanguilentam urinam faciant: Rosae aridae foliorum,

3 pondus *scripsi*: pondo *R*. 6 santonica *L*: sandonica *R*. 7 non *scripsi*: nunc *R*; *cf. Marc. p.* 201: Absinthii sicci santonici conbusti cyathum unum, corni cervini conbusti cyathum unum. 8 cocliaria *L*. 9 mixorum *R* 11 inritatio *L*: iritatio (*sic*) *R*. 12 vitio *M*: ultimo *R*. 13 quotiens *L*: quoties *R*. 14 ex *Rhod.*: et *R*. 16 penicellum *L*. 17 adpositum *M*: expositum *R* impositum *Rhod.* 19 perungundus *R* spicillo *L*. 22 hypocistidos *L* rhus *L*: rhois *R*. 23 p. X VI *Rhod. e M*: pondo sena *R*. omphaci *L*: omphacii *R* p. X IIII *Rhod. e M*: pondo quatuor *R* 26 et] aut *M* 27 sanguinulentam *L*.

papaveris nigri seminis, nucleorum pineorum paria pondera contunduntur seorsum et in unum miscentur; inde datur quantum nux iuglans ex passi cyathis duobus et aquae cyathis tribus.

CXLIIII. Alia ad renium dolorem potio, quae etiam quasi harenam sabulosam detrahit: Apii seminis, petroselini, anesi, singulorum p. X̶ XVI, dauci seminis p. X̶ IIII, schoeni p. X̶ VI, croci p. X̶ XXXII, mellis quod satis videbitur. Datur quantum lupinus ex mellis ligula et aquae cyathis IIII.

Ad renium tumorem et dolorem, facit eadem et ad iocineris et ad lienis tumorem ⟨et⟩ ad eos, qui mali coloris propter haec sunt vitia, item ⟨ad⟩ aquae mutationes: Croci p. X̶ X, nardi Indici p. X̶ II, casiae p. X̶ II, costi p. X̶ I, cinnami p. X̶ I, murrae stactes p. X̶ I, mellis optimi p. X̶ XXV. Datur quantum faba Aegyptia ex mulsi cyatho mixto aquae duobus vel mulsae aquae cyathis tribus.

CXLV. Si cui autem lapis in renibus innatus fuerit et urinam non faciet, medicamentum his rebus fieri debet: Petroselini pondo — I, anesi pondo — I, dauci seminis pondo Z, git pondo — I, cinnami pondo Z, schoeni pondo Z, croci ∋ V, apii seminis p. ∋ VI. Haec omnia tusa creta melle Attico despumato pondo II Z colliguntur et medicamentum vitro condunt.

CXLVI. Ad tumorem et dolorem vesicae et exulcerationem bene facit aqua, in qua ferrum candens demissum est. Hoc ego traxi ab aquis caldis, quae sunt in Tuscia ferratae et mirifice remediant vesicae vitia — appellantur itaque vesicariae — quondam Milonis Brocchi

3 nux *M*: nucis *R* iuglans *scripsi*: iuglandis *R M*. 6 harenam *L*: aren. *R*. sablosam *L*. 9 datur *M*: dantur *R* 11 Ad renium] *cf. c.* 125, *ubi compositio eadem est et Plin. de re med.* II, 37. 12 iocineris *L*: iecinoris *R*. 13 ad *addidi*. 15 cinnami *M*: cumani *R*. stactae *M*. 16 datur *M*: dantur *R*. faba Aegyptia *scripsi*: fabae Aegyptiae *R*. 22 ∋ *Aldus*: Ɔ *R*; *cf. de hac nota c.* 72. 26 demissum *scripsi*: dimissum *R L*. 29 Brocchi *M*: Gracchi *R*.

praetorii, hominis optimi, ad quinquagesimum lapidem [reddentis].

CXLVII. Ad tumorem et dolorem vesicae et ad eos, qui difficulter urinam reddunt: Alterci seminis, apii seminis, malvae seminis, cucumeris edulis seminis purgati, singulorum p. X VI, amygdalorum dulcium purgatorum, nucleorum pineorum purgatorum, singulorum p. X III, opi p. X I, croci p. X I et victoriati; passo contusa conspergunt. Datur hoc medicamentum pondere X I ex passi cyathis duobus et aquae totidem.

CXVIII. Ad vesicam exulceratam: Nucleorum amygdalorum victoriati pondus, cucumeris edulis seminis purgati cyathus unus, anesi cyathus, papaveris nigri p. X IIII, croci p. X I, palmae cariotae XXX. Has macerari oportet in passi sextario uno atque conterere, his adicere cetera: ex eo dare nucis iuglandis magnitudinem ex passi cyathis tribus.

CXLVIIII. Ad sanguinem cum dolore per urinam reddentes: Aluminis fissi pondo uncia, tragacanthi pondo sextans. Tragacanthum ex alumine trito cogitur in pastillos victoriati pondere; hinc viciae magnitudine detractum datur ex passi cyathis tribus.

CL. [Ad initia vetustave comprimenda et emendanda bene facit.] Ad calculosos herba *σκολοπένδριον*, quam nos calcifragam appellamus, belle facit contusa pondere X I ex aquae cyathis tribus per dies triginta; eodem modo datur *ἱερὰ βοτάνη*, quam nos Vettonicam dicimus [item

1 quinquagensimum *L.* ab urbe lapidem *M.* 2 reddentis *om. M, inclusi.* 7 opi *L*: opii *R.* 9 pondere *scripsi*: p^o. *R.* 14 palmae caryotae *Rhod.* palmas cariotas *R.* XXX *M*: p. triginta *R*; *an* n. (= numero) tr.? 15 sextario uno *scripsi*: sextarium unum *R.* 16 eo *M*: eodem *R.* magnitudine *L.* 21 pondere *scripsi*: pondo *R.* 23 *vocabula* Ad initia vetustave comprimenda et emendanda bene facit *a M omissa Scribonii non esse vidit Rhodius.* 25 pondere *ego*: p^o. *R.* 27 datur *huc transposui, post* genere *colloc. R.* Vettonicam] *sic etiam L* verbenacam *Cornarius; cf. Plin. nat. hist.* 25, 105. 26, 87. *verba inclusa non habet M.*

eodem genere tantum]; licet autem aqua earum decocta uti cotidie ieiunum pondere Ӿ unius cum aquae cyathis tribus.

CLI. Multos cum admiratione effectus audivi narrantes, Cai Juli, nasci in lapidicinis bestiolas adhaerentes saxis quasi verrucas; has quinque ex aquae cyathis tribus findere et per urinam extrahere lapides [certum est].

CLII. Ad calculosos: Cucumeris seminis, dauci, anesi, apii, petroselini, murrae, singulorum p. Ӿ III et victoriati, casiae daphnitidis, cinnami, nardi, singulorum p. Ӿ I, aqua colliguntur, fiunt pastilli lupini magnitudinis. Ex aquae dantur cyathis tribus per dies quadraginta. Hoc medicamentum cum conponitur, pilum ligneum sit; qui contundit, anulum ferreum non habeat. Hanc enim superstitionem adiecit Ambrosius medicus Puteolanus, qui adfirmavit multos se hoc medicamento sanasse. Detrahere autem dixit post diem septimum fragmina quaedam lapidum quasi harenam.

CLIII. Ad calculosos, lienosos, hydropicos; urinam detrahit, lapidem extenuat: Eryngi, pyrethri, saliuncae, calcifragae, singulorum p. Ӿ XXV, ebuli, aristolochiae, singulorum p. Ӿ ⟨V⟩; oxymyrsinae, quae scopa regia vocatur, suco haec omnia contusa ligno colliguntur, fiunt pastilli pondere Ӿ unius. Dantur autem ex aceti et mellis cyathis tribus.

Calculosis ⟨prodest⟩ illecebrae quantum manus capit

1 autem] *an* etiam? 2 pondere *scripsi*: p°. *R.* 5 Casilini *pro* Cai Juli *M.* 6 *pro* quinque *M exhibet*: datas tritas. 7 findere *M*: suffundere *R* diffindere *Rhod.*; *verba* certum est *om. M, glossema videntur.* 8 Cucumeris] *Hanc compositionem Galenus vol.* XIII, 325 *et qui eum exscripsit Aetius tetr.* III *serm.* III *c.* XIII *ad Andromachum auctorem referunt.* 10 *post* casiae *interpunctionem sustuli.* daphnitidis *M* (*ut c.* 269): daphnidis *R., cf. Veget.* 6, 13. 11 aquae *M*: aqua *R.* 13 contundit *M*: contunditur *R.* 18 harenam *L*: aren. *R.* 20 eryngi *L*: eryngii *R.* pirethri *L.* 21 ebuli] polii, folii *M.* aristolociae *L.* 22 V *addidi e M.* 24 pondere *scripsi*: p°. *R.* 26 prodest *addidi.*

aut auriculae murinae idem aut Vettonicae tantundem; earum quaelibet herba ex aquae tribus heminis ad tertias decoquitur, inde sumuntur cyathi tres et eodem adiciuntur vini cyathi duo et nitri victoriati pondus atque his dilutum medicamentum datur pondere 𐆖 I per dies quadraginta quinque; in harenam solvit lapidem; sed hydropicis ex mulsi mixti cyathis tribus dandum est.

CLIIII. Ad lumborum dolorem: Cucurbitae silvestris floccorum aut seminis p. 𐆖 II, brathys p. 𐆖 I, salis p. 𐆖 I. Fiunt catapotia melle decocto adiecto. Valentibus tota datur conpositio, imbecillioribus autem dimidia. Sed mane per clysterem alvus ducenda ovorum albis temperatum.

CLV. Ad lumborum dolorem et paralyticos: Cucurbitae silvestris p. 𐆖 IIII, pyrethri p. 𐆖 IIII, murrae p. 𐆖 II vel I. Dantur ex passi cyathis tribus. Licet hinc catapotia fieri, dum idem ponderis devoretur. Sed et his alvus acri clysmo mane trahenda est.

CLVI. Ad lumborum dolorem et paralyticos antidotos hiera Pacci Antiochi melius omni medicamento facit. Sed ad paralysin mirifice hoc acopum facit, quo oportet in sole diu fricare aut loco flamma praecalfacto: Olei Sabini p. 𐆖 XXV, cucumeris silvatici recentis radicis p. 𐆖 XV. Haec radix magnitudine nucis iuglandis concisa vaso fictili novo ex oleo coquitur, donec sucum omnem remittat et quasi arida sit; post hoc abicitur. Per linteum vel colum transmisso oleo adicitur, dum calet, cerae Ponticae in frusta redactae pondo libra, olei laurini pondo libra, olei cyprini pondo libra, olei lilini pondo libra, olei veteris pondo dua, piperis albi contusi et per cribrum tenuissimum transmissi p. 𐆖 I, pyrethri contusi et per idem

1 marinae *M* conchulae marinae *Rhod.*, *sed conf. Marc.* XXVIII, p. 200: herba quae muris auricula dicitur. betonicae *R.* 4 pondus *scripsi*: pondo *R.* 5 pondere 𐆖 *scripsi*: pondo *R.* 17 detrahenda *M.* 19 acci *L* Pacchii *R*; *cf. Gal.* XIII, p. 284. 20 quo *M*: quod *R.* 25 abicitur *M*: adicitur *R*; *interpunctionem mutavi.* 26 *post* oleo *add.* in quo *R.* 28 lilini *scripsi*: lilii *R* irini *M.* 30 p. 𐆖 I *scripsi*: 𐆖 p°. as *R* p. 𐆖 ac semis *Rhod.*

cribrum transmissi p. X I. Haec in unum miscentur, reponuntur vaso fictili. Facit praeterea ad lumborum et ad omnem dolorem corporis et praecipue nervorum. Muliebres locos durissimos mollit, cum diu aliis medicamentis nihil profectum est.

CLVII. Ad lumborum dolorem malagma quod proprie facit: Picis liquidae sextarios duos, olei veteris sextarium unum, resinae terebinthinae sextarium unum, cerae pondo libram et trientem, magmatis pondo bessem, aphronitri pondo trientem. Coquitur pix cum oleo, donec spissa fiat, et postea adicitur ei resina, deinde cera et secundum hanc ex intervallo magma. Ubi habet emplastri figuram medicamentum, tollitur ab igne <et> cum tepere coeperit, aphronitrum aspergitur sensim, ne superfundatur, quod in caccabo est.

CLVIII. Ad podagram cum fervore et tumore rubicundo, quam caldam vocant, bene facit primis diebus herba urceolaris, item caseus mollis recens per se; postea herbae salis pusillum admiscere oportet. Item facit apium viride per se vel cum polenta, nec minus solanum, portulaca, plantago, spongea vel Rhodia vel Africana mollis ex aqua frigida, lana sucida ex rosa et vino. Subinde autem haec omnia mutare oportet, priusquam excalefiant. Prodest et omentum caprinum, item faba molita cum suis valvulis ex aceto cum melle diluto conspersa et inposita: ducit enim sanguinem et dolorem levat. Bene faciunt et mala citrea quam maxime cocta ex aceti sextariis tribus, donec madida fiant; quibus tritis adicitur aluminis fissi pondo uncia, murrae pondo sextans. Bene facit et aloe aceto diluta et per pinnam pedibus inducta, item opium lacte muliebri dilutum.

CLVIIII. Mirifice vero hoc facit cataplasma, id est

13 et *add. M*: *om. R hac vocula ante* aphronitrum *posita.* 15 caccabo *L*: cacabo *R.* 16 *post* podagram *add.* caldam *R*, *om. M.* 20 vel *M*: et *R.* 21 spongia *R.* 27 citrea *M*: citria *R.* maxime] maxima quinque *M.* 32 *verba* id est superpositum medicamentum *Rhodio glossema visa sunt.*

superpositum medicamentum; tollit enim triduo dolorem: Lomenti hemina, feniculi seminis cyathi duo, polentae tenuis cyathi duo. Commiscentur haec in unum contusa, molita, trita, deinde consperguntur aqua pluvia et ita temperantur, ne durum sit medicamentum aut aquatum nimis. Inpositum protinus levat, triduo tollit dolorem. Hoc constat, si quis ter in mense inter denos dies usus fuerit, in nocte non laboraturum.

CLX. Ad frigidam podagram, quae sine tumore et rubore consistit, cataplasma: Piperis nigri moliti hemina, feniculi seminis contusi hemina, coquuntur ex aqua utraque; ubi temperata sunt, adicitur axungia suilla et dum calet, panno spisso inductum medicamentum inponitur.

Bene facit ad idem genus et: Lini seminis et faeni graeci seminis, farinae hordeaciae, singulorum bini sextarii cribrati in unum commiscentur; inde coquere oportet quod satis erit ex aqua et oleo, subinde calidum cataplasma etiam inponere.

Bene facit et hibisci radix ex aqua mulsa cocta et inposita, item sabucum cum axungia vetere tritum et inpositum, adiectus et brassicae cinis cum axungia vel semen caulium. Ubi autem impetus cessaverit, et in hoc et in priore genere podagrae calda aqua marina diu fovendi sunt, vel si haec non erit, aquae purae ferventi salem adicito. Post epithemate uti oportet, quod ad parotidas scriptum est: tollit enim cito reliquias per sudores et in futurum confirmat nervos nec patitur facile vitiari.

CLXI. Scio quendam hoc quasi acopo medicum usum in noctem nec postea temptatum podagra, cum ante diu esset vexatus: Lanam sucidam pondo librae vini veteris sextario diu lavabat, deinde expressam reiciebat; vino autem residuo adiciebat aphronitri usti pondo sextantem, olei veteris pondo libram; reponebat in oleario fictili;

13 inductum *Rhod.*: inducto *R.* 15 ordeaciae *R.* 18 etiam *om M* 19 *ante* Bene facit *add. R* ad hos, *om. M.* hybisci *R.* 21 adiectus *om. M*; *fort. legendum* adiuvat et. 30 librae *Rhod.*: libra *R.*

utebatur, ut superius dixi, in nocte. Multis profuit ad corpus in duplici calceo pellem caninam habere.

CLXII. Ad utramlibet podagram torpedinem nigram vivam, cum accesserit dolor, subicere pedibus oportet stantibus in litore non sicco, sed quod adluit mare, donec sentiat torpere pedem totum et tibiam usque ad genua. Hoc et in praesenti tollit dolorem et in futurum remediat. Hoc Anteros Tiberii libertus supra hereditates remediatus est.

CLXIII. Ut sis tutus, etiam si quando rus secesseris, ponam theriacarum conpositiones, id est ad serpentum morsus atque ictus medicamenta. Sed prius quae cognita habui remedia, ne cui serpentes noceant, dicam. Habere ergo in cinctu oportet peucedanum vel cervi, cum captus est, in oculi angulo, qui est ad nares versus, quae inveniuntur sordes virosi odoris; has Siciliae venatores diligenter colligunt et habent in cinctu propter ante dictam causam. Idem praestat et hiera botane et trifolium acutum, quod ὀξυτρίφυλλον Graeci appellant; nascitur et hoc Siciliae plurimum. Nam in Italiae regionibus nusquam eam vidi herbam nisi in Lunae portu, cum Britanniam peteremus cum deo nostro Caesare, plurimam super circumdatos montes. Est autem foliis et specie et numero similis communi trifolio, nisi quod huius pleniora sunt et quasi lanuginem quandam super se habent et in extrema parte velut aculeum eminentem. Sed huius frutex duorum pedum interdum aut etiam amplior conspicitur et odorem gravem emittit, quorum nihil circa pratense trifolium invenitur. Sed utrasque superius dictas herbas [quas] cum inveneris pridie notare oportet et circumscribere sinistra manu fruges aliquas ponentem atque postero die ante solis ortum sinistra manu vellere ⟨et⟩ ita inligatas habere.

8 Anteros *M*: Anthero *R*. 14 in cinctu *Rhod.*: incinctum *R*. 17 cincto *R*. 22 plurimam *ego*: plurimum *R*. 29 quas *inclusi*. 31 manu *ego*: ante *vel* ave *Rhod. dubitanter* aure *R*. 32 ⟨et⟩ *addidi*.

CLXIIII. In Africa aut sicubi scorpiones sunt noxii, stellionem aridum in cinctu oportet habere.

CLXV. Theriace facit ad omnium serpentium morsus et ictus et adflatus mirifice; eadem prodest et ad contusiones et ad convulsiones interiorum partium laterisque ex qualibet causa et pectoris dolores: Vitis albae radicis pondo octo, trifolii acuti seminis, quod et ipsum in extremo aculeum habet, vel eiusdem radicis trepondo, panacis p. ✗ IIII, terrae mali p. ✗ V, roris marini radicis p. ✗ IIII, laseris p. ✗ IIII, gingiberis p. ✗ IIII, rutae silvaticae p. ✗ VI, cumini Thebaici p. ✗ III, murrae p. ✗ III, cumini Aethiopici p. ✗ V, castorei p. ✗ III, eryngii radicis p. ✗ III, serpulli p. ✗ III, ervi albi seminis moliti p. ✗ XII. Chio vino consperguntur contusa ac trita; fiunt pastilli pondere ✗ unius aut victoriati. Dantur ex vino mero vetere vel mixto vel ex aqua: quae si non fuerint, per se commanducandus erit pastillus et devorandus.

CLXVI. Alter pastillus ad eadem facit: Cinnami p. ✗ IIII, serpulli p. ✗ IIII, staphidis agriae [quam herbam pediculariam quidam vocant, quod pediculos necat, a quibus hoc nomen trahit] seminis p. ✗ III et victoriati, piperis albi p. ✗ VI, peucedani lactis p. ✗ VIII et victoriati, glycysidae nigrae seminis, quam paeoniam Graecorum quidam appellant, p. ✗ I et victoriati, terrae mali p. ✗ III, nasturcii seminis p. ✗ IIII, cachryos p. ✗ II et victoriati, castorei p. ✗ II, saliuncae p. ✗ V. * * *

CLXVII. Altera theriace etiam ad aspidem.
Deest.

2 in cinctu *Georges*: incinctum *R*. 4 afflatus. Mirifice *R*; *interpunctionem mutavi.* 7 pondo octo] *scribendum videtur*: p. ✗ VIII. 8 trepondo] *suspicor*: p. ✗ III. 9 p. ✗ IIII *Rhod.*: p°. IIII *R*. rori *R*. 11 p. ✗ VI *ego*: p°. sex *R*. p. ✗ III *scripsi*: p°. III *R*. 13 serpylli *R*. 15 pondere *ego*: p°. *R*. 16 ex *ante* mixto *colloc. R, transposui.* 19 serpylli *R*. staphidis *Rhod.*: staphis *R*. 26 *Hic in Ruellii codice folium unum defuisse videtur, qua iactura et extrema huius compositionis pars et c.* CLXVII *et c.* CLXVIII *et c.* CLXVIIII *et principium antidoti Mithridatis interciderunt.*

CLXVIII. Ad viperae morsum proprie.
Deest.

CLXVIIII. Antidotos Zopyri.
Deest.

CLXX. Antidotos Mithridatis.
Deest initium; cf. Gal. XIV, 152 *K.*

Acori p. X II, phu p. X I, sagapeni p. X II, iris Illyricae p. X II, balsami seminis p. X II, rutae silvaticae p. X II, gentianae p. X II, anesi p. X III, thlaspis p. X VI et victoriati, rosae aridae p. X IIII, misy p. X IIII, acaciae p. X III, commis p. X II, cardamomi p. X II, schoeni floris p. X VI et victoriati, opopanacis p. X VI, opobalsami p. X VI et victoriati, galbani p. X VI et victoriati, resinae terebinthinae p. X VI et victoriati, rubricae Lemniae p. X VII. Melle Attico et vino Chio conspergito, donec habeat spissitudinem mellis. Reponitur vitreo vase. Danda autem est iis, qui malum medicamentum sumpserunt, fabae Aegyptiae magnitudine ex vini meri, si poterit, cyathis sex: sin minus, mixti meracius cyathis quattuor cotidie. Et a serpente laesis danda erit: ex mulso autem, quorum iecur durum est aut arquati sunt et quibus alioquin urinam movere studemus. Sed fabae nostratis magnitudine tussientibus, oculis laborantibus, latus dolentibus; ceterum magnitudine ciceris coeliacis; ⟨febricitantibus⟩ — prodest enim et his — viciae magnitudine ante accessionem febrium; tetanicis, opisthotonicis, spasmo correptis — adiuvat enim eos — lupini magnitudine, sed cum aquae cyathis tribus.

CLXXI. Antidotus Apulei Celsi praeceptoris, quam quotannis conponebat et genere quodam publice mittebat Centuripas, unde ortus erat, quia in Sicilia plurimi fiunt rabiosi canes. Facit enim ad horum morsum protinus quidem data per dies triginta, ita ut aquae, id est liquoris

17 Danda *ego*: Dandum *R.* iis *scripsi*: his *R.* 21 aut] aut qui *Rhod.* 23 magnitudine *Rhod.*: magnitudinis *R.* 24 febricitantibus *addidi.* 25 magnitudine *scripsi*: magnitudo *R.*

timore numquam temptetur. Qui cum accidit, summo cruciatu ad mortem eos conpellit, quos ob ante dictam causam ὑδροφόβους Graeci appellant. In ipsa autem correptione uti oportet ea, data cum rosae cyathis tribus et exigua aqua pondere X I. Hoc proficit, ut aquam postea sine timore sumant, et minus quidem liberati hac difficultate cruciantur; ceterum nemo adhuc correptus hoc malo, quantum ego scio, expeditus est. Quamquam pervenit ad me opinio esse in insula Creta barbarum quendam naufragio adpulsum maiorem natu publice mercedem accipientem. Quin etiam cum liquorem timent et latratus edunt spasmoque vexantur, remedium brachio sinistro alligatum efficere, ut et potionem accipiant et liberentur vitio, quod adhuc ante antidotum Celsi inter omnes quasi insanabile constitit.

CLXXII. Hoc ego cum quaererem ab hospite meo legato inde misso nomine Zopyro Gortynense medico, quid esset, pro magno munere accepi. Dixit autem hyaenae corii particulam esse panno inligatam. Quod ego adhuc non sum expertus, quamvis protinus magna cura hyaenam invenerim et pellem paratam habeam, quia non incidit ex eo quisquam, et opto quidem ne incidat, sed quia id non est in nostra potestate, si casu inciderit, remedium habere oportet ad tantae rei experimentum.

CLXXIII. Antidotus autem Celsi haec recipit: Nardi Syriaci, croci, murrae, costi, casiae, cinnami, schoeni, piperis albi, piperis longi, castorei, galbani, resinae terebinthinae, opii, singulorum p. X III, alterci albi p. X II, anesi p. X I, apii seminis, tragacanthi, singulorum p. X VI, mellis Attici sextarium unum, vini Falerni unciam. In hoc maceratur tragacanthum et opium pridie, postero die contusis ceteris miscentur in melle; galbanum et resina fictili patella super carbones inposita resolvuntur, deinde

5 pondere *ego*: p°. *R.* 6 tumore *R errore typothetae.* 11 liquore *R.* 12 alligatum *scripsi*: alligato *R.* 17 Gortynense *Holstenius*: Gordiense *R.* 26 Syriacae *Aldus.*

arida asperguntur et si opus est, adicitur mel et ut cerati teneri spissitudinem habeant, [et] rursus patella super ignem inponitur moventurque quae sunt in ea spatha fraxinea. Coquitur medicamentum, donec crocinum habeat colorem; ultima quae sunt vino macerata adiciuntur; vase vitreo antidotus reponitur. Datur fabae Aegyptiae magnitudine ex aqua. Facit autem etiam ad stomachi omne vitium et praecipue quod cum fluore consistit; facit et ad oculorum epiphoras et ad tormina et ad coli inflationem, iecinoris, pectoris dolorem, tussientes, adversus mala medicamenta omnia, serpentium morsus vel ictus. Oportet autem locum morsum a rabioso cane vel a serpente diu tenere in exulceratione neque pati cicatricem ducere, ut virus illa pertrahatur. CLXXIIII. Extra itaque ea sunt inponenda, quae etiam sana corpora exulcerant, ut alium, lepidium, chelidonium, batrachium, sinapis, scilla, cepa cum aceto. Optime facit et per se caprifici liber [per se] contritus et inpositus ulceri; item laser per se.

CLXXV. Sed multo magis emplastri huius vis facit, quod Augusta propter eiusmodi casus habuit conpositum et multis profuit. Accepimus a Tryphone praeceptore nostro: Iris Illyricae p. 𐆖 V, castorei Pontici p. 𐆖 V, caprificus lactis aridi p. 𐆖 V, canis nigri adipis p. 𐆖 VIII, eiusdem sanguinis p. 𐆖 X, resinae terebinthinae p. 𐆖 VIII, leporis coaguli p. 𐆖 IIII, salis ammoniaci p. 𐆖 II, laseris Cyrenaici p. 𐆖 II aut Syriaci p. 𐆖 IIII, cerae Ponticae p. 𐆖 XXXVI, olei veteris cyathi duo, aceti scillitis cyathi tres. Arida ex aceto teruntur; quae liquefieri possunt, oleo ad ignem liquefacta miscentur mortario tritis et temperatis in mellis spissitudinem. Vitreo reponitur.

2 et *ante* rursus *inclusi.* 13 exulceratione *ego*: exulcerationem *R.* 15 allium *R.* 16 celidonium *R.* batracium *R.* 17 per se *inclusi.* 19 *ante* Sed multo *inseruit R ex lemmate* Emplastrum antidotum *quod delevi.* 20 quod *Stephanus*: quo *R.* 21 Triphone *R*; *cf. Gal.* XII, 843 *Τρύφωνος ἀρχαίου.* 26 syrenaici *R.* 29 liquefacta *ego*: liquefacto *R.* 30 vitro *vel* vitreo vase *Rhod.*

CLXXVI. Antidotus Cassii medici facit adversus toxicum potum, eadem si quis venenato telo percussus est, praeterea ad omnis serpentis morsus aut ictus, praecipue ad canis rabiosi morsus bis die sumpta pondere 𐆖 unius ex aqua mulsa. Facit ad pectoris et lateris dolorem et tussim et omnia interanea inflatione aliove quovis dolore correpta: Nardi spicae Syriacae p. 𐆖 III, costi p. 𐆖 III, cinnami, gentianae, casiae, murrae, singulorum p. 𐆖 III, croci p. 𐆖 III, uvae passae purgatae p. 𐆖 II, schoeni p. 𐆖 II, opobalsami p. 𐆖 II, misys, dauci singulorum p. 𐆖 II, cumini Aethiopici p. 𐆖 II, acori p. 𐆖 IIII et victoriati, asari p. 𐆖 I et victoriati, petroselini p. 𐆖 I et victoriati, piperis longi p. 𐆖 I et victoriati, piperis albi p. 𐆖 I et victoriati, phu Pontici seminis p. 𐆖 III, rapae seminis p. 𐆖 IIII, nardi foliorum p. 𐆖 III, scillae victoriati pondus, feniculi seminis p. 𐆖 IIII, mellis Attici quod satis erit. Ad venenum et ad serpentes ex vino, ad ceteros dolores interaneorum ex aqua.

CLXXVII. Antidotus Marciani medici, cui quia nihil deest, *τελεία* dicitur Graece, id est perfecta. Facit ad omnia haec vitia, ad quae superiores antidoti omnes. Haec Augusto Caesari conponebatur: Cinnami p. 𐆖 VIII, amomi p. 𐆖 VI, casiae nigrae p. 𐆖 XXV, croci p. 𐆖 XVI, schoeni p. 𐆖 V, turis p. 𐆖 V, piperis albi p. 𐆖 II, murrae p. 𐆖 X, piperis longi p. 𐆖 X, nardi Indicae p. 𐆖 X S, nardi Celticae p. 𐆖 XVI, rosae aridae p. 𐆖 VI, costi albi p. 𐆖 II, opobalsami p. 𐆖 IIII, laseris Cyrenaici victoriati pondus vel Syriaci p. 𐆖 I, stoechados p. 𐆖 VI, gentianae p. 𐆖 V, trifolii acuti radicis p. 𐆖 IIII vel eiusdem seminis p. 𐆖 III, scordii p. 𐆖 X, polii p. 𐆖 V, asari p. 𐆖 II, acori p. 𐆖 III, phu p. 𐆖 III, misy p. 𐆖 II, dictamni p. 𐆖 XII, ammoniaci guttae p. 𐆖 III, agarici p. 𐆖 duum semis, balsami seminis

4 pondere *ego*: p°. *R.* 6 aliove quovis dolore *scripsi*: alioque dolore aut quovis *R* aliove quo dolore *Boettiger.* 10 mysis *R.* 15 foliorum *scripsi*: folia *R.* victoriati pondus *ego*: victoriati ·𐆖· p°. pondus *R.* 21 Haec *scripsi*: Hoc *R.* 28 stoecados *R.*

grana XX, petroselini p. X̶ VI et victoriati, rutae silvaticae p. X̶ trium semis, feniculi seminis p. X̶ trium semis, dauci Cretici p. X̶ IIII, anesi p. X̶ II, cumini Aethiopici p. X̶ II, rapae seminis p. X̶ V et victoriati, napi silvatici seminis p. X̶ III, anatis feminae ⟨sanguinis⟩ recentis p. X̶ II, anatis masculi sanguinis aridi p. X̶ III, haedi masculi sanguinis aridi p. X̶ III, testudinis marinae sanguinis aridi p. X̶ VI S, anseris masculi sanguinis aridi p. X̶ III, mellis Attici quod satis erit. Facit ad omnia. Haec ego conposita habeo.

CLXXVIII. Quoniam antidotos, quas optimas scivimus, posui in facientibus ad omne malum [vitium aliud] medicamentum etiam ex multis rebus, simplicia quoque medicamenta et propria remedia monstrabimus. Interdum enim haec melius adversus quaedam quam antidotos faciunt. Trademus autem singulorum malorum medicamentorum epotorum signa, quo facilius intellegatur, quid quisque sumpserit et qua ratione adiuvari debeat.

CLXXVIIII. Cicutam ergo potam caligo mentisque alienatio et artuum gelatio insequitur ultimoque praefocantur, qui eam sumpserunt, nihilque sentiunt. Adiuvari autem debent in initiis vino mero subinde quam plurimo caldo et per se et cum pipere et cum styrace poto. Atqui maxime prodest lac asininum datum: si minus, vaccinum aut quodlibet. Oportet autem et alvum acri clustere ducere eorum et extra super ventrem inponere farinam hordeaciam vel triticeam coctam ex vino caldam.

CLXXX. Opium potum, quod quidam meconium vocant, ab odoris gravitate intellegitur: papaveris enim viridis, cuius sucus est, qualitatem repraesentat. Facit autem capitis gravitatem, gelationem et livorem artuum sudoresque frigidos manare. Praeterea spirationem inpedit, mentem

1 grana ·p· viginti *R*, *fortasse* n. (= numero). 5 sanguinis *inserui.* 12 vitium aliud *inclusi.* 13 rebus] *intercidisse videtur* conpositum. 14 medicamenta *suspectum.* monstrabimus *scripsi*: monstravi *R.* 19 Cicutam] *cf. Gal.* XIV, 138 *K.* 27 ordeaciam *R.*

soporat sensusque abalienat. Adiuvari porro debent qui biberunt aqua cum oleo in vinum admixtis saepius datis et frequenter reiectis per pinnam aut lorum vomitorium. Prodest et vini cyathus et passi et olei cyathus eadem ratione datus. Item vinum et acetum pari mensura datum ex aqua mulsa cum rosa eiusdem mensurae, ita ut ista subinde cogantur reicere. Praeterea caput rosa et aceto sine intermissione curetur eorumque pedes adsidue fricentur manibus siccis aut linteo aspro involutis. Prodest et sinapi ex aceto tritum circumdatum pedibus cruribusque et a somni tempore prohibere, ne obsopiantur.

CLXXXI. Altercum, quod Graeci *ὑοσκύαμον* vocant, qui biberunt, caput grave venisque distentum habent; mente abalienantur cum quadam verborum altercatione: inde enim hoc nomen herba trahit altercum; postea sopiuntur et omni sensu carent livescentibus membris eorum. Adiuvantur autem lacte poto asinino quam plurimo vel quolibet alio recenti per se vel decocto. Sed ii prius aqua mulsa saepius pota cogantur per pinnam reicere. Opio laesi similiter curentur.

CLXXXII. Gypso poto stomachus venterque dolore vasto urgetur, frigidus sudor subsequitur, oculi sanguilenti conspiciuntur, urina alba redditur, concrescit in aliqua parte ventris quod potum est et tactu quasi saxum percipitur. Adiuvari autem debent, qui his malis vexantur, lixivio e sarmentorum cinere facto quam plurimo poto, item aqua thymum aut origanum decoctum habente.

CLXXXIII. Spuma argentea pota, quam Graeci *λιθάργυρον* dicunt, ventris infert gravitatem, inflammationem, postea dolorem cum urinae difficili exitu; procedente tempore coloris quidem quasi plumbei sunt, praecipue

2 aqua cum oleo] *cf. Gal.* XIV, 138; aqua et oleo in unum admixtis *Rhod.* 6 eiusdem *scripsi:* eius *R.* 12 Altercum] *cf. Gal.* XIV, 139. 14 abalienantur *Aldus:* abalienabuntur *R.* 22 sanguinolenti *Stephanus.* 26 lixivio] *cf. Gal.* XIV, 142 *πίνειν τέφρας κληματίνης ἀπήθημα.* 28 Spuma argentea] *cf. Gal.* XIV, 142. 29 inflammationem] inflationem *Rhod.*

haec deformitas circa faciem deprehenditur; suppurant autem plurimae partes eorum. Adiuvantur secundum reiectionem aqua mulsa acrique curatione, pipere, murra, apii semine pondere pari in unum mixtis, ex eoque medicamento p. X unius dare ⟨oportet⟩ cum vini cyathis tribus quattuorve cotidie potis.

CLXXXIIII. Cerussam, quam Graeci ψιμύθιον vocant, qui biberunt, facile deprehenduntur: linguam enim albam habent commissurasque dentium albicantes. Praeterea nauseant, reiciunt poto medicamento, caligant, magis magisque vertigine quadam urgentur; postea spiritus via intercluditur et praefocantur. Adiuvantur autem post vomitum ab oleo vel ab aqua mulsa cremore ptisanae caldo largiore accepto, sed bene uncto, item lacte cum melle poto. Facit et malva discocta concisa sale et oleo pipereque condita et pro sorbitione data per se vel cum urtica herbaque Mercuriali. Prosunt et nucleorum persicorum interiora ex vino trita atque pota quam plurima, item lixiva calda ex cinere sarmentorum facta.

CLXXXV. Coriandrum datum apparet quidem ab odore spirationis totiusque corporis: redolet enim et hoc herbam ut infectum. Intellegitur autem ex gustu. Facit porro raucitatem et mentem movet. Adiuvari autem debent, qui biberunt, [ex] vino mero quam plurimo vel aqua marina vel muria dura pota; item ovis anserinis sorbilibus plurimum salis habentibus vel iure gallinaceo agninove quam pinguissimo et salsissimo per se poto.

CLXXXVI. Leporis marini gustus non absimilis illotis piscibus aut etiam putentibus. Qui sumpserunt autem stomacho vesicaque adficiuntur, ita ut urinam quidem difficulter et cum dolore purpureique coloris reddant. Stomacho item tento et dolenti sunt aversoque ab omni esca, praecipue pisce. Nauseant praeterea et subinde reiciunt

5 oportet *add. Rhod.* 7 Cerussam *Rhod.*: cerussa *R.* 18 lixiva *R* lixivia *Aldus.* 20 Coriandrum] *cf. Gal.* XIV, 139. 24 ex *delendum videtur.* quam *scripsi*: atque *R.*

spumosa, interdum biliosa aut sanguilenta et maxime cum simulavit aut nominavit aliquis piscem. In somnis littoris pulsi fluctus videntur subinde audire. Oculi eorum exulcerantur, genae inflantur, coloris mali et veluti plumbei fiunt minutatimque per tabem quasi phthisici consumuntur. Adiuvari autem debent hoc malo circumventi lacte muliebri vel equino vel vaccino aut asinino quam plurimo cotidie per se aut cum melle sumpto. Prodest et malvae sorbitio bene uncta et salsa. Item prosunt malorum Punicorum grana adsidue data. Bene facit et pix cedria, si quis inde bina ternave coclearia [eius] sumpserit per se vel ex passi cyathis duobus tribusve. Item bene faciunt iuniperi tritae quam plurimo cum passo aut per se datae.

CLXXXVII. Salamandra quibus data est, lingua exasperatur, corpus invalidum fit; praeter hoc torpet rigoribus quibusdam et livoribus quasi maculis variatur. Adiuvari autem debent, quibus inpacta est, melle quam plurimo per se vel cum resina ex pinu, cuius etiam tenera folia cum herba, quam Graeci χαμαίπιτυν appellant, decocta ex aqua mulsa prosunt. Item lini seminis farina ex aqua mulsa sumpta quam plurima bene adiuvat.

CLXXXVIII. Aconiti gustus est auster atque subamarus. Potum autem protinus facit corpus grave et displicens. Mordet autem stomachum et cor adficit; itaque sudor e vestigio insequitur multus et frigidus, maxime circa oculos et frontem apparet. Inflantur intestina et venti plurimum emittunt qui biberunt, capitisque dolorem habent cum vertigine quadam adsidue quidem, sed praecipue cum se e lectulo levare conantur. Proprium est autem huius mali medicamenti protinus lividos articulos et artus facere. Sed adiuvantur facile qui id sumpserunt ruta quam plurima pota cum vino, item iure gallinae pinguis vel bubulae. Prodest et his vinum chamaepityn decoctam in se habens,

1 sanguinolenta *Stephanus*. 6 lacte] *cf. Gal.* XIV, 139. 11 eius *inclusi*, inde *del. Rhod.*; *an scribendum* adsumpserit? 13 bacae iuniperi *Rhod.* 21 plurima *scripsi*: plurimum *R.* 26 apparet *Rhodio suspectum.*

item acetum melle mixtum, in quo ferri stercus, quod σκωρίαν Graeci vocant, ustum prius infervescat saepius et ita detur. Item proficit abrotoni pondo sextans ex vino datus et origani pondo sextans eodem modo datus. Praecipue autem adiuvabit, si quis coagulum leporis, hinnuli et porci in unum miscuerit et dederit ex vini hemina aut cyathis tribus X̶ I vel victoriati pondus.

CLXXXVIIII. Cantharides gustum et odorem similem pici e cedro factae habent. Potae stomachi dolorem morsusque excitant, praecipue vesicae. Quamobrem qui biberunt eas difficulter urinam et cum sanguine reddunt, exulcerata scilicet vesica; praeterea animo subinde linquuntur deficiuntque. Adiuvantur autem, cum saepius reiecerunt, passo cum oleo poto vel omni lacte, sed debent plurimum eius sumere. Item prosunt eis nuclei pini per se sumpti vel ex aqua mulsa aut ex passo triti et dati, item cucumeris semen purgatum et lini semen ex passo datum. Adiuvat bene et ius pingue agninum vel ex bubula factum et farina triticea pultis more cocta plurimum anserini adipis habens. Prodest et Samiae cretae p. X̶ quattuor cum passi cyathis quattuor mixtisque aqua datum, item oleum irinum ex ruta tritum et potum.

CLXXXX. Buprestis gustus est nitri similis; facit autem tumorem stomachique infinitum dolorem et inflat totum corpus in speciem hydropici. Adiuvantur aqua ficus aridae decoctae et ipsa ficu plurima sumpta, item passo plurimo et lacte muliebri et iure suillo pingui accepto et nitri pondere X̶ quattuor cum aquae hemina dato et ceteris, quae supra ad cantharidas scripta sunt.

CLXXXXI. Dorycnion gustum quidem habet lactis, potum vero singultus crebros facit et vomitus frequenter

4 datus *scripsi bis*: datum *R bis*. 5 hinuli *R*. 7 X̶ I] X̶ ·p· I *R*. 8 Cantharides] *cf. Gal.* XIV, 151 Cantarides *R*. 16 et *om. Stephanus*. 20 habens *scripsi*: habente *R*. 23 Buprestis] *cf. Gal.* XIV, 141. 26 plurima *scripsi*: plurimum *R*. 27 plurimo *ego*: plurimum *R*. 28 pondere *scripsi*: p^{o}. *R*. 30 Dorycnion] *cf. Gal.* XIV, 140.

concitat. Reiciunt autem ab stomacho ramenta, quae etiam simillima torminosis, subindeque animo deficiuntur. Adiuvari autem debent laesi eo lacte asinino, equino, bubulo, conchyliis omnibus crudis atque decoctis.

CLXXXXII. Ixia, quam quidam chamaeleonta vocant, odorem habet, cum sumitur, ocimi, pota autem linguae tumorem facit. Mentem abalienat ventremque et omnes naturales exitus supprimit. Adiuvantur autem laesi ab ea absinthio poto cum vino, item castorei pondere X II dato ex vini cyathis quattuor et rutae fruticibus quinque vel sex. Facit bene et chamelea pondere X trium ex vini cyathis tribus aqua mixtis nec minus radix laseris ex vino data, tragoriganum eodem modo datum.

CLXXXXIII. Ephemeron potum protinus quidem totum os prurire facit velut scilla tactum, postea etiam adurit quasi pipere manducato; secundum haec quoque stomachum mordendo exulcerat, atque qui id biberunt primum ab ore sanguinem expuunt, deinde ex stomacho cruorem reiciunt, postea per sellas etiam abundantius eundem deiciunt. Adiuvabuntur autem laesi ab eo polygonii suco quam plurimo per se poto vel arido trito pondo librae dato cum aqua. Praemacerantur autem mala Cydonea aut vitis capreoli aut murti bacae aut eiusdem folia.

CLXXXXIIII. Toxicum cuius sit gustus, haud facile quivis dixerit. Verum cum potum est, e vestigio ciet dolorem omnium interaneorum infinitum et velut telo traiectorum concitatque mentis furorem cogitque exululare et palpitare lingua similiter decollatorum capitibus: nihil enim potest intellegi ex voce eorum. Adiuvantur autem qui id biberunt, rosa pota aut oleo irino coactique frequentius reicere, item alvo acri clysmo saepius ducta, postea passo, lacte et antidoto Mithridatio.

2 deficiunt *Nicol. Leonicenus.* 6 ocymi *R.* 9 pondere *ego*: p°. *R.* 10 vini *scripsi*: vino *R.* 11 pondere *ego*: p°. *R.* 17 biberunt *ego*: biberint *R.* 19 etiam *scripsi*: et iam *R.* 20 polygoni *Rhod.* 23 cydonia *R.* myrti *R.*

CLXXXXV. Pharicum et ipsum dicitur ex conpluribus conponi gustumque habere nardi. Potum autem facit spasmon, cito exanimat. Adiuvantur vero laesi ab eo saliunca, id est nardo silvestri, quam plurima ex vino saepius data, item olusatri radice aut semine ex vino dato. Bene facit et hoc medicamentum: Galbani puri p. X̶ duum, murrae p. X̶ unius cum passi cyathis quattuor datum pondere X̶ unius [et]. Hoc etiam ad omne ⟨malum⟩ medicamentum facit.

CLXXXXVI. Tauri sanguinis potum quamvis quis difficile celaverit, hunc tamen vestigia cruoris relicta inter dentium commissuras produnt. Nauseant autem et praefocantur qui biberunt, cum gelatur. Sed adiuvantur aceto calido saepius poto et iniecto per se vel cum nitro laserisve radice.

CLXXXXVII. Lac potum et gelatum odore spirationis, si non confitebitur qui laborat, cognoscetur; praefocantur autem et hoc homines. Adiuvari autem debent, qui ab eo laborant, menta quam plurima saepius sumpta, item coagulo agnino, leporino, porcino, victoriati pondere ex aqua bis terve dato. Prodest et laseris radix cum posca et alvus acri clysmo ducta.

CLXXXXVIII. Fungis venenatis cum quis laborat, primum nauseat nec quidquam magnopere reicit; postea stomachi ventrisque et praecordiorum infinitos habet dolores, manant sudores frigidi per artus, qui et ipsi gelantur celerrime, nisi cito succurratur. Adiuvantur autem radice ea, quam nos edimus, acri quam plurima per se vel cum sale manducata eiusque semine, si ipsa non fuerit, poto ex vino. Item ruta ex aceto trita et pota proficit nec minus lixiva cineris ex sarmentis pota. Adiuvat et nitrum aceto dilutum et datum eodemque modo aeris flos datus et mel cum aceto dilutum quam pluri-

8 pondere *ego*: p°. *R* et *inclusi*. 9 malum *addidi*. 11 difficile] *scribendum videtur* non difficile *aut* facile. 19 ea *R*. 25 stomachi *Rhod.*: stomachum *R*. habet *Aldus*: habent *R* 31 lixiva *R* lixivia *Aldus*.

mum devoratum. Oportet autem et oleo ante multo poto cogere eos reicere, quantumcumque potuerint, et eodem caldo subinde artus perunctos pressius fricare.

CLXXXXVIIII. Hirudinem, quam quidam sanguisugam vocant, devoratam et adhaerentem faucibus eoque ipso molestiam titillationemque quandam praestantem excutere oportebit aceto quam plurimo epoto per se vel cum sale aut nitro aut lasere. Idem faciunt et nivis glebulae quam plurimae devoratae.

Medicamentorum malorum non nocet nominum aut figurarum notitia, sed ponderis scientia. Hanc porro medicus nec quaerere nec nosse debet, nisi diis hominibusque invisus merito esse vult et contra ius fasque ⟨fines⟩ professionis egredi. Illas autem, figuras dico et nomina, necesse est ei scire, ut et ipse devitet, ne per ignorantiam aliqua sumat et aliis idem praecipere possit: hoc enim proprium est medicinae et illud exsecratissimi pharmacopolae ⟨e⟩ contrario oppositi virtuti eius, ut et in ceteris artibus animadvertitur: nulla enim est, quae non habeat adversantem sibi sub specie similitudinis malignam professionem.

CC. Quotiens autem suspicio mali medicamenti accepti fuerit, primum adsumere oportet, quae nauseam faciunt, vel oleum per se vel cum aqua et reicere; deinde ea, quae ventrem molliunt, tamquam lac, album ius pingue et salsum, chameleam non cessantem inicere clystere; postea remedia propria ad singula quaeque et antidotos sumere.

Implicitas medicinae partes inter se et ita conexas esse, ut nullo modo diduci sine totius professionis detri-

3 pressius *Rhod.*: expressius *R*; *an scribendum*: diutius et pressius? *cf. c.* 253. 4 Irudinem *R.* 9 plurimae *scripsi*: plurimum *R.* 13 fines *addidi*, professionem egredi *Rhod.* 16 aliqua *scripsi*: aliquam *R.* 18 e *addidi.* 20 sub *Scioppius*: sua *R.* 22 quoties *R.* 23 accepti *Rhod.*: accepta *R.* 26 chamaeleam *R.* 27 quaeque *scripsi*: quoque *R.* 30 esse constat *R*, *glossema manifestum sustuli.*

mento possint, ex eo intellegitur, quod neque chirurgia sine diaetetica neque haec sine chirurgia, id est sine ea parte, quae medicamentorum utilium usum habet, perfici possunt, sed aliae ab aliis adiuvantur et quasi consummantur. Itaque quamvis ex magna parte ad diaeteticos pertinentes conpositiones iam exhibuerimus, tamen quasi claudicat et vacillat hic liber, nisi eas quoque conpositiones, quae ad chirurgos pertinent, posuerimus, quarum initium ex emplastris faciemus.

CCI. Emplastrum chirurgi Tryphonis subviride, quod facit, cum vulnus ita actum est, ut os laedatur vel frangatur, praecipue calvariae: κεφαλικὴ ideo a Graecis dicitur. Idem si os scabrum aut putre vetustate vitii factum est, expurgat et educit, quantum eius alienum est; facit praeterea ad canis morsum et ad ulcus recens molle: Squamae aeris Cyprii p. X̶ XII, turis p. X̶ VI, ammoniacae guttae p. X̶ VI, resinae pituinae, id est ex picea arbore, p. X̶ X S, resinae terebinthinae p. X̶ VI, adipis vituli pondo quadrans, cerae pondo triens, olei pondo semuncia, aceti cyathus unus et dimidius. Acetum intritum consumatur ad omnia, quae teri debent, dum levia habuerint mellis spissitudinem; cera et utraque resina cum adipe purgato et oleo liquescant et incoquantur, donec habeant spissi cerati temperaturam, ferventia superfundentur rebus, quae sunt in mortario, minutatim et pistillo subinde, dum calet, permiscebuntur atque ita, dum desinit fervere, emplastrum manibus subigetur et redactum in rotundas ampliores, quas magdalias dicunt, reponetur.

CCII. Emplastrum Megetis chirurgi subviride ad eadem facit. Conponitur similiter, accipit haec: Squamae aeris Cyprii p. X̶ XXV, ammoniaci guttae p. X̶ XXV, ter-

3 habet *Aldus*: habent *R.* 4 consumantur *R.* 10 Triphonis *R.* 11 factum *Rhod.* 15 squamae *ego*: squama *R.* 17 X̶ X *Rhod. deleta* S *nota.* 21 debent *scripsi*: debeant *R.* 26 et permiscebuntur *R* et *del. Rhod.*; *possis etiam suspicari legendum esse:* ⟨agitabuntur⟩ et permiscebuntur. 28 magdalias *Georges*: magdalidas *R.*

rae mali, quod ἀριστολοχίαν Graeci dicunt, p. X̶ XX, iris p. X̶ XX, aluminis fissi p. X̶ XX, murrae p. X̶ XXII, resinae terebinthinae p. X̶ IIII, pituinae resinae p. X̶ IIII, adipis taurini p. X̶ IIII, cerae p. X̶ IIII, olei veteris sextarium unum, aceti acris sextarios IIII. Conponitur hoc medicamentum, cum caniculae sidus oritur, teritur in sole, donec acetum omne consumatur. In quibusdam hoc emplastrum efficacius, in quibusdam superius positum invenitur.

CCIII. Emplastrum viride Tryphonis facit ad vulnera recentia, quo utebatur etiam in gladiatoribus, coloris boni, εὔχροον ideo etiam appellabat. Recipit haec: Aeris usti pondo sextantem, aluminis rotundi pondo sextantem, salis ammoniaci pondo sextantem, turis pollinis pondo sextantem, aeruginis rasae pondo trientem. Haec teruntur ex aceto aliquot diebus; postea cerae pondo dua, resinae frictae pondo dua cum olei veteris pondo dextante liquefacta ad ignem mortario superfunduntur et mixta manibus subiguntur.

CCIIII. Emplastrum viride Thraseae chirurgi ad recentia ulcera minus acre: Aeris usti p. X̶ XII, salis ammoniaci p. X̶ VIIII. Haec terere aceto per aliquot dies oportet, donec viridis color appareat, postea adicere aluminis fissi p. X̶ VII. Ubi iam omnia levia facta fuerint et mellis liquidi temperaturam habuerint, cerae pondo libra, resinae frictae pondo libra cum olei cyathis quinque liquefacta super ea adiciuntur et rursus mortario subiguntur, refrigeratumque manibus subigitur ac reponitur.

CCV. Emplastrum viride Tryphonis facit ad recentia vulnera, morsus hominum, sed praecipue ad vetera ulcera, quae nullo modo cicatricem ducunt et callos eminentes circa se habent. Oportet autem tunc non linteolo, ut cetera, inlinere, sed dilatatum magis manibus in magnitudinem vulneris satis crassum inponere superque linteola

10 Triphonis *R* 16 duo *Aldus.* 18 ad ignem *scripsi*: ab igne *R.* 20 Traseae *R.* 29 Triphonis *R.*

carpta plurima, deinde spongeam novam ex verbenis murto oleaque factis. Constat ex his: Aeruginis p. X̶ IIII, squamae aeris p. X̶ VI, turis pollinis p. X̶ VI, galbani p. X̶ IIII, aluminis rotundi p. X̶ IIII, resinae pituinae p. X̶ XXV, cerae p. X̶ XXV, olei pondo sextante, terebinthinae pondo selibra, aceti quod satis est. Conponitur eodem modo, quo et superius scripta viridia emplastra sunt.

CCVI. Emplastrum viride Glyconis chirurgi, quod sui generis meo iudicio superat omnia, vocatur Isis. Accipit haec: Aeris usti, aeris Cyprii, aeruginis rasae, salis fossicii, guttae ammoniaci, turis masculi, mali terrae rotundi, quae *ἀϱιστολοχία στϱογγύλη* Graece dicitur, mali terrae sarmentorum, quibus unguentarii utuntur, dicitur autem aristolochia clematitis, aluminis rotundi, singulorum pondo unciam, murrae, galbani, aloes, singulorum pondo sextantem, cerae pondo trientem, resinae colophoniae pondo IIII vel dua et bessem, olei sextarium unum. Haec enim galbano, resina, cera et oleo super ignem liquefactis miscentur mortario, praeterea ceteris ex aceti sextario uno. Facit hoc emplastrum ad detectam membranam tegentem cerebrum de industria a medicis, cum terebratu exciditur quod laedit eam os, vel alioquin detectam rosa dilutum et inpositum. Item facit ad capitis diutinum dolorem, quem *κεφαλαίαν* Graeci appellant, dolenti loco raso superpositum nec minus dies viginti. Item facit ad oculorum imminentes epiphoras superpositum frontibus. [Ceteras] eodem modo sanguinis eruptiones e naribus adiuvat et ulceribus factis eiusdem partis rosa dilutum prodest nec minus angina correptis faucibus extra superpositum et toto collo. Parotidas initia habentes discutit, suppuratas iungit, si quis emissarium collectionis apto loco, id est infra sinum, ubi collectio est, fecerit, quod *ὑπόχυσιν* Graeci dicunt. Eadem ratione suppurationibus

1 spongiam *R.* 8 Glyconis chirurgi *e lemmate in textum intuli.* 17 duo *Aldus.* 18 enim] autem *Rhod.* liquefactis *Rhod.*: liquefacta *R.* 24 *κεφαλαίαν scripsi*: *κεφαλαλγίαν R.* 27 ceteras *inclusi.*

in mammis mulierum futuris aut factis prodest, iungit omnem partem divisam et fibulis artatam, praecipue cum intestina prolapsa et reposita sunt, atque sartum vulnus, quod a Graecis dicitur γαστροῤῥαφία. Lateris, stomachi, ventris, iecinoris, lienis dolorem sedat. Adiuvat coeliacos, torminosos ventri toto circumdatum. Item vesicae tumenti prodest. Eodem modo lumborum dolorem levat. Ad luxatum omne et eiectum et repositum articulamentum bene facit et ad podagram praeter quodvis aliud medicamentum satis convenit et huic mirifice prodest. Fistulas rosa dilutum sanat. Ad carbunculos et cancer inponendum est: purgat enim nec patitur latius serpere; vetera ulcera cicatricem ducere cogit. Punctus nervorum ⟨et⟩ musculorum, qui periculosissimi sunt, quos νύγματα Graeci dicunt, sine incisione aut divisione sanat cyprio oleo dilutum. Ad nervorum vitia omni acopo melius facit.

CCVII. Emplastrum nigrum eius, barbara dicitur, facit ad omne recens vulnus et contusum; hoc plerique in gladiatoribus utuntur: Picis Bruttiae p. X̶ C, resinae frictae p. X̶ C, bituminis Iudaici p. X̶ C, cerae p. X̶ C. Haec concisa in minima frusta coquuntur cum olei sextario uno, donec spissentur; quibus depositis ab igne et desinentibus nimis fervere adicitur spumae argenteae p. X̶ X, cerussae p. X̶ X, aeruginis p. X̶ V. Haec autem cum aceti hemina terere oportet et minutatim aspergere, ne effervescat medicamentum. Ubi his adiectis et intermixtis intepuerit medicamentum, opopanax oleo dilutus exiguo pondere X̶ duum adicietur; deinde refrigeratum et manibus subactum [medicamentum] et in partes divisum reponitur. Huic ergo emplastro cum ita conpositum est, dum adhuc modice calet, adicito turis pollinis pondo trientem et mirum quanto efficacius est: sine dolore atque tumore conservat vulnera et celerius sanat.

2 arctatam *R.* 13 et *add. Rhod.* 16 omni *Rhod.*: omnia *R.* 17 barbara] *cf. Cass. Fel. c.* 31. 21 frustra *R.* 24 Haec *Rhod.*: Et haec *R.* 28 pondere *scripsi*: p°. *R.* et manibus *Rhod.*: manibus et *R.* 29 medicamentum *inclusi.*

CCVIII. Emplastrum nigrum Thraseae chirurgi facit ad omnia recentia vulnera, proprie autem ad nervorum ⟨et⟩ musculorum punctus, contusiones, luxa, et in totum tumorem non patitur fieri, articulos incisos iungit. Item et gladiatorum et omnium hominum ad periculosa vulnera mirifice facit, sinus veteres et fistulas iungit interius iniectum primum et postea extra positum: Cerae pondo IIII, picis Bruttiae pondo IIII, resinae frictae pondo IIII, bituminis Saguntini, quod est natura liquidum, pondo IIII, cerussae, aeruginis, chalcitidis, misyis, aluminis fissi, aluminis rotundi, melanterias, quae creta sutoria dicitur, qua ligulae calceolorum denigrantur, gallae Syriacae, singulorum pondo libra. Haec aceto teruntur, donec levia fiant. Quibus mellis habentibus spissitudinem cera atque alia, quae igne liquefiunt, bitumenque super ignem solutum superfunduntur iis, quae sunt in mortario; postea medicamentum manibus subigitur et reponitur vase fictili acetum habente.

CCVIIII. Emplastrum nigrum Aristi chirurgi facit ad omne recens vulnus mirifice, ad punctus nervorum et ad musculorum, item ad contusum, luxum, praecipue ad ossa fracta. Sine alligatura enim interdum dimidio celerius sanat ea et sine dolore servat, iungit sinum. Habet autem haec: Spumae argenteae p. X̶ CC, aluminis fissi p. X̶ XXX, picis Hispanae p. X̶ C, bituminis Iudaici p. X̶ C, propolis p. X̶ XXX, aeruginis p. X̶ X, cerae p. X̶ C, am-

1 nigrum *e lemmate in textum recepi.* Traseae *R*; *cf. Gal.* XIII, 741: ἡ Ἰνδὴ Θαρσέου χειρουργοῦ πρὸς τὰς προειρημένας διαθέσεις· κηροῦ, ῥητίνης φρυκτῆς, πίσσης ξηρᾶς, ἀσφάλτου ὑγρᾶς Ζακυνθίας ἑκάστου λίτρας β', ψιμυθίου, ἰοῦ, χαλκίτιδος, μίσυος ξενικοῦ, μελαντηρίας, στυπτηρίας καὶ σχιστῆς καὶ στρογγύλης, κηκίδων ὀμφακίδων, σιδίων, ῥοῦ, λιβάνου ἑκάστου ἀνὰ ἡμίλιτρον, ὄξους ὅσον ἐξαρκεῖ. τὰ τηκτὰ ἕψε μέχρις ἀμολύντου, τὰ δὲ ξηρὰ κόψας καὶ σήσας λεπτοτάτῳ κοσκίνῳ ὄξει φυράσας ἀναλάμβανε τοῖς τηκτοῖς. 3 et *add. Rhod.* 4 Item *scripsi*: Idem *R.* 9 Zacynthii *Rhod. coll. Gal. l. l. Plin.* 35, 178 *Dioscorid.* I, 99. 10 misyis *Aldus*: mysiis *R.* 16 iis *scripsi*: his *R.*

moniaci guttae p. Ӿ XXIIII, terebinthinae p. Ӿ L, olei veteris sextarios quattuor. Oleo infervescit spuma argentea trita curiose, deinde adicitur bitumen et ipsum contusum et tritum. Ubi haec cerati mollis habent temperamentum, pix adicienda est, deinde cera et propolis, postea ammoniacum, a quo aerugo; ultimum alumen aspergitur. Oportet autem ubi tumor suspectus est, lanam sucidam ex vino sine oleo superponere.

CCX. Emplastrum nigrum Tryphonis, basilicon appellatur, facit ad contusa et canis morsum et furunculos. Idem rosa dilutum explet concava vulnera: Picis Bruttiae p. Ӿ XL, resinae p. Ӿ XL, galbani p. Ӿ II, olei cyprei pondo sescuncia. Cum oleo communi pix liquefit et coquitur, donec coeat; post hoc resina adicitur; deinde ⟨cum⟩ emplastri habet temperamentum, deponitur caccabus et tepente medicamento galbanum dilatatum, ne uno loco subsidat, adicitur.

CCXI. Emplastrum nigrum, quod τετραφάρμακον dicitur, facit ad eadem. Recipit haec: Cerae, picis, resinae frictae paria pondera, adipis taurini dimidium; una omnia coquuntur, donec emplastrum fiat.

CCXII. Emplastrum Dionysi chirurgi facit ad mediocria vulnera et in teneris corporibus puerorum. Idem iungit belle vulnera et sine tumore servat: Spumae argenteae p. Ӿ CXX, olei sextarios duos. Haec super ignem moventur, donec cerati habeant temperaturam; post hoc adicitur aluminis p. Ӿ XLV et decoquitur, usque dum rufum medicamentum fiat. Post haec adicitur resinae colophoniae p. Ӿ XLV, cerae p. Ӿ XLV. Ubi emplastri omnia habuerint spissitudinem, deponitur caccabus et

9 Triphonis *R.* basilice *R in indice.* 13 pondo sescuncia *ego*: Ӿ p°. sescuncia *R.* pix *scripsi*: Ӿ p. IX *R.* liquefit *scripsi*: liquefiet *R.* 14 cum *addidi.* 15 habet *scripsi*: habens *R.* 18 Emplastrum nigrum Aristi chirurgi *R in indice et lemmate.* tetrapharmacos *R in indice.* 28 medicamentum *glossema videtur.*

tepente medicamento [et cum desierit fervere], adicitur galbanum minutatim dilatatum, quo facilius solvatur, pondere X quattuor.

CCXIII. Alterum rubrum medicamentum, quo venatores utuntur, facit ad canis morsum et omnium quadrupedum; item et ad offensionem in stirpe et cetera vulnera mediocria: Spumae argenteae pondo quinque semis, olei veteris pondo dua. Haec coquantur, donec coeant; deinde adicitur aeris squamae pondo uncia et coquitur, donec colorem rufum sumat; postea adicitur cerae pondo triens, resinae frictae pondo duo, ammoniaci guttae, deposito paulisper caccabo, pondo quadrans, et rursus reposito ad breve tempus atque iterum deposito et non fervente galbani divisi in minimas partes pondo sextans.

CCXIIII. Emplastrum coloris incerti facit ad omnia mediocria vulnera, quadrupedum morsus, contusa vel incisa articulamenta, ut fit, cum ad dentem pervenit pugnus. Idem ad furunculos mire facit et strumas omnemque duritiem discutit, si id quis perseveranter inponat. Item cicatricem ducit diutini ulceris et in totum ad omnia levia in cotidianos usus mirificum est: tumorem non patitur fieri neque pus; haeret, ut fascia non sit opus; in balineo non excidet. Hoc ipsum est, quod tu desiderasti: Olei veteris pondo quinque, spumae argenteae pondo quinque. Haec coquuntur, donec coeant, postea adiciuntur his resinae pituinae pondo quinque. Ubi emplastri habet temperamentum, adicitur propolis inalienatae [sincerae] et bonae, qualis est Attica, pondo selibra, deinde in caccabo

1 *verba uncis inclusa ab interprete addita esse coniec. Rhod.* 2 pondere *scripsi*: p°. *R.* 6 item *Aldus*: idem *R.* 12 galbani item divisi in minimas partes et rursus reposito ad breve tempus atque iterum reposito et non ferventi galbani pondo sextans *R*; *locum corruptum utcumque emendavi.* 23 Olei] *cf. Gal.* XIII, 930 *ἄλλη διαφορητική, ὡς Σκριβώνιος· λιθαργύρου λίτρας ε', ἐλαίου λίτρας ε', πιτυίνης ξηρᾶς λίτρας ε', προπόλεως λίτρας η', τῆς* (leg. *ἰξίας*) *δρυίνης γο γ'.* 25 adiciuntur *scripsi*: adicitur *R.* 27 sincerae *glossema esse vidit Boettiger.*

deposito visci de quercu lecti pondo quadrans. Hoc semper habeo compositum.

CCXV. Emplastrum luteum Euelpisti chirurgi facit ad tenera corpora mediocriter laesa et abrasa, quae ἀποσύρματα Graeci dicunt: Spumae argenteae pondo selibra, olei hemina coquuntur, dum coeant; deinde adiciuntur cerae pondo duo, resinae pituinae pondo duo.

CCXVI. Emplastrum, quod aperit et educit pus vel si quid aliud subest; ἐπισπαστικὸν dicitur: Cerae pondo libra, resinae terebinthinae pondo libra, nitri rubri pondo libra. Hoc teritur ex cinere lixiva, donec leve factum habeat mellis spissitudinem; postea supra dicta cum olei cyathis sex liquefiunt ad ignem, quibus adicitur turis pollinis selibra et ita, quae in caccabo sunt, mortario superfunduntur et commiscentur.

CCXVII. Emplastrum album ex sale — δι' ἁλῶν Graeci dicunt — facit ad omnem duritiem et diutinum dolorem et ducit sudores, idem ulcera vetera et callosa renovat et facilius aliis medicamentis, quae hoc pollicentur, cogit cicatricem ducere: Salis marini, cerussae, olei veteris paria pondera. Coquitur cum oleo cerussa, donec coeant, et postea sal admiscetur.

CCXVIII. Emplastrum aliud ex sale nigrum efficacius, idem ad omnia facit; sed recipit singulorum pondo libram similiter, olei autem veteris triplex adicitur.

CCXVIIII. Emplastrum album ad combusta et perniones: Cerussae pondo libram, olei murtei pondo libram, spumae argenteae p. X̶ XXIIII, cerae Ponticae pondo libram. Cerussa et spuma argentea coquuntur cum oleo, donec coeant; postea adicitur cera.

CCXX. Emplastrum album Paccii Antiochi, quo uti oportet, cum in mammis mulierum aliove quovis loco duritia fuerit, quae ad omne medicamentum exasperatur, quam Graeci καρκίνωμα aut κακοῆθες vocant. Facit etiam

22 coeat *Stephanus.* 31 Pacchii *R.* 34 etiam *Boettiger*: autem *R.*

ad combusta et vetera ⟨ulcera⟩ omnia, quae non facile cicatricem ducunt; item ad ulcera ex frigore vel per se facta, praecipue vero ad ani vitia difficilia et vetera rosa dilutum: Cadmiae botryitis p. X̶ VIII, pompholygos Cypriae p. X̶ VII, molybdaenae lotae p. X̶ V, turis masculi p. X̶ IIII, cerussae p. X̶ LXX, spumae argenteae p. X̶ L, cerae Ponticae p. X̶ VIII, resinae terebinthinae p. X̶ VII, olei murtei p. X̶ C, alterci albi, iridis, sertulae Campanae, terrae mali, papaveris silvatici capitum corticis, singulorum p. X̶ VI. Quae sunt dura, teruntur ex vini veteris sextario uno, in quo die et nocte macerentur. Cum levia facta fuerint et mellis spissitudinem habuerint, tunc murteum oleum minutatim in mortario adiciatur et cum fuerint temperaturae liparae, medicamentum coniciatur in novo fictili caccabo et coquatur pruna non nimis acri moveaturque sine requie, ne aduratur; cum emplastri temperaturam habuerit, resinae cera adiciatur.

CCXXI. Emplastrum ad combustum mirifice facit; cum multis usus sim, nullum magis probo: protinus enim inpositum mitigat, postea tollit dolorem statimque infinita celeritate persanat: Spumae argenteae pondo selibram, adipis suilli purgati pondo selibram, cerae Ponticae pondo selibram, ovorum assorum vitellos sex, quos terere oportet et miscere spumae argenteae tritae et ceram cum adipe liquefacere, deinde pati coire, postea in unum miscere.

CCXXII. Lipara ad intertrigines et exasperationem ⟨et⟩ tumorem ani mirifica: Spumae argenteae pondo triens, cerussae pondo triens, turis pollinis pondo triens, aluminis fissi pondo quadrans, adipis suilli curati pondo quadrans, vini austeri veteris heminae tres, rosae sesquilibra, olei acerbi selibra. Teruntur spuma, cerussa, alumen ex vino; deinde adicitur tus minutum et cretum et cum primum

1 ulcera *addidi.* 4 botryitidos *Rhod.* 10 *verba* Quae sunt — macerentur *ante* alterci albi e. q. s. *collocat R*; *huc transponenda esse statuit Rhod.* 14 in *omittendum aut scribendum* novum fictilem caccabum *censuit Rhod.* 24 tritae et *ego*: et tritae *R.* 27 et *addidi e M* atque *R in indice.*

haec levia paruerint, cum oleamentis ex vino adipem liquefactum cum rosae pondo quadrante miscere in unum oportet.

CCXXIII. Lipara rufa facit ad fissuras ani diutinas, quas ῥαγάδας dicunt; eadem ad eiusdem partis exulcerationes et vitia diutina bene facit: Spumae argenteae p. X XXXVI, cerussae p. X VI, chalcitidis ustae p. X VI, misyos p. X VI, resinae terebinthinae p. X XII, cerae p. X VI, olei murtei sextarii II, aquae pondo sextans. Cum aqua teruntur quae prima posita sunt et olei pondo dimidio, cum reliquo oleo cera et terebinthina liquefacta mortario superfunduntur.

CCXXIIII. Ad condylomata facit bene elaterium sincere, quod est sucus cucumeris silvatici conpositus rationeque in pastillos redactus, ex aceto dilutum et perunctum; item propolis per se subacta et more emplastri inposita.

CCXXV. Facit bene et resinae terebinthinae p. X VI, cerae idem, in unum cocta igni, quantum possunt gagatis lapidis triti recipere. Multis et iris contusa et ex vino mixto cocta et posita velut farina hordeacia profuit. Facit et Andronium medicamentum, quod initio posuimus, ad condylomata vino dilutum bene.

CCXXVI. Hoc medicamentum mirifice prodest: Aluminis melini p. X C, chalcitidis p. X L, faeculae p. X L. Teritur aceto; cum opus est, vino aut aceto diluitur.

CCXXVII. Haemorrhoidas sic curare oportet. Medicamento perunguantur: Centaurii suci p. X II — haec herba

1 apparuerint *Boettiger.* 5 ad *R in indice* et *in textu* ad omnes *M.* 7 mysios *R* misui *L.* 9 sextarios S II *et nomine et signo sextarii quod est* S *posito R,* S *delev. et nominativum restituit Rhod.* 10 pondere *M*; *an* pondo *delendum?* 11 liquefacta *M*: liquefacto *R.* 13 sincere *L*: sive cera *R* sincerum *Cornarius.* 18 unum *M*: vinum *R.* quantum oportet et adiciuntur his gagatis lapidis triti X IIII *M.* 20 mixto *ego*: mixta *R.* cocta ex posca *Rhod.* ordeacea *R.* 24 *ponderum ratio verisimilior apud Marcellum haec est*: alum. mel. X II, chalc. X I, faec. X I. 27 suci *M*: succo *R.* X II *M*: pondo duum *R.*

latine fel terrae dicitur et ubique in agris nascitur; est autem tenuis multorum ramorum in rectum surgentium, florem habet exiguum purpureum — absinthi suci p. X II, aluminis liquidi p. X II, herbae pedicularis p. X II, misyis p. X I, mellis quantum ad conprehendenda ea satis erit. Hoc peruncto interius ano aut lana tincta interius trusa, cum desederint ad sellam et paruerint totae, medicamento rursus bene tangendae sunt undique et praecipue radices earum, quas basis dicunt, specilli latitudine, subinde hauriente medico cumulate medicamentum et adstruente inprimenteque, donec conbibant: totum enim in eo est, ut ab omni parte saturentur. Est autem hoc medicamentum: Chalcitidis ustae p. X IIII, aeris floris usti p. X IIII, misyis usti p. X III, aeris squamae p. X II, diphrygis p. X II, soreos usti p. X II, auripigmenti p. X II. Haec omnia teruntur et sicca, ut dixi, haemorrhoidibus inprimuntur undique, post hoc tenue simplex rarum linteolum inponere oportet et super hoc panem autopyron ex aqua maceratum et tritum rosaceo oleo adiecto. Hoc medicamentum sine magno labore circa septimum diem cadere cogit haemorrhoidas. Oportet autem bis die panem inponere, nonnumquam in nocte, si circum tensionem senserint; a quarto die auriscalpio averso, quam partem κυαθίσκον Graeci vocant, sensim temptare movere abalienatas oportet, quo celerius excidant [haemorrhoides]. Hoc medicamentum omnem carnem ex omni parte corporis exulceratam et excrescentem et eminentem sine magno morsu tollit.

CCXXVIII. Si quando non exulceratas eminentias

3 absinthi *L*: absinthii *R*. 5 comprendenda *R*. 6 interius *M*: et interius *R*. 7 desederit quis *M*; *an* desederit (*sc. aeger*) *scribendum*? paruerint *L*: apparuerint *R*. 9 quas basis (vasis *L*) dicunt *M*: carbasis ducunt *R*. 10 cumulate *Cornarius*: cumulatae *L* cumulante *R*. 11 eo *M*: ea *R*. 13 misui *L*. 17 rasum *M*. 22 nonn. et in noctem *M*. 23 a quarto *Rhod.*: quarto *M* aquario *R*. 24 abalienatas *scripsi*: abalienatam *R* eas *M*. 25 haemorrhoides *om. M*, *inclusi*. 26 ex *M*: et *R*. 27 et eminentem *om. M*.

tollere sine ferro voluerimus, ut verrucas, naevos aliave eius generis, hoc medicamento utimur: Calcis vivae p. X̶ VI, faeculae p. X̶ III, nitri usti p. X̶ III. Haec terere oportet ex cinere lixiva ex caprifico vel sarmentis, donec levia passi habeant temperamentum, deinde adicere rubricae aut atramenti, quod possit colorare ea, deinde patella fictili coquere ad mellis spissitudinem atque puxide nigri plumbi reponere. Melius autem recens facit, cuius usus est talis: Quod destinatum erit tollere, id ipsum specillo oblinetur crassius, ex intervallo penicillo abstergetur et cum satis nigrum ⟨et⟩ quasi perustum visum fuerit, desinere oportebit inponere res et abstergere et panem ex aqua inponere et rosa. Hoc et strumas sanat, antequam suppurent. Oportet autem, cum hoc medicamentum crustam fecerit in strumis, nullum aliud [medicamentum] adhibere: sanae enim ita fiunt.

CCXXVIIII. Cum vero aliqua pars suppuraverit et timidus fuerit ad sectionem cui id acciderit, viscum quam plurimum colligere oportebit eumque cum cinere lixiva diutius terere et aluta inductum inponere ita formata et in tantum spatium circumsecta, quantum et quale volumus ulcus, id est emissarium vomicae fieri et ea parte scilicet inponemus, quam tum necesse erit aperire. Hoc eodem medicamento saepe dolores diutinos pectoris, lateris, lumborum sustuli, cum ad nullum malagma aut auxilium cedebant: exulcerata enim minima parte cuiusque dolentis loci ⟨cum⟩ humoribus postea vitium veluti eiciebatur.

CCXXX. Melior tryphera — hoc enim nomine superius positum medicamentum appellatur — facit ad omnia, quae ferro debent tolli sine magno dolore, item haemorrhoidas

1 nevos *L.* 2 utemur *M.* 3 nitri *M*: vitri *R.* 7 pyxide *M.* 9 ipso *M.* 11 et *addidi e M.* perustum *M*: perunctum *R.* 15 crustam *M*: causam *R.* medicamentum *inclusi*, *om. M.* 19 lixiva *scripsi*: lixivi *R* lixivo *vel* lixivio *Rhod.* 23 quam tum *Rhod.*: quantum *R.* 27 cum *addidi e M.* 28 triphera *R.* nomine *R in indice Rhod.*: nomen *R in textu.* *fort.* et superius. 30 item *ego*: idem *R.*

productas medicamento, quod supra positum est, tollit. Uvam nimis iacentem sine periculo per auriscalpium lana involutum perunctam ex parte, qua tollenda est, amputat. Oportebit autem postea aqua mulsea gargarizare et lentis atque rosae aridae aqua decoctae. Eadem res et palpebram pilosam remediat, si quis radices pilorum adversus naturam natas oblinierit, donec locus earum niger fiat. Recipit haec: Aeris floris p. X III, calcis vivae p. X VI, thapsiae radicis p. X VI, faeculae p. X III, nitri p. X II, auripigmenti p. X II, fellis taurini p. X VI. Teruntur ex cinere lixiva, qua culinarii utuntur, donec habeat mellis liquidi temperamentum. Reponitur puxide nigri plumbi. Haec puxis in ampliorem stagneam mittitur habentem cinerem lixivam usque ad operculum minoris. Oportet autem et hoc medicamentum colorare rubrica vel atramento. Huic medicamento si anatis sanguinis quasi duae ligulae adiunctae fuerint, minus mordebit.

CCXXXI. Quatenus acrium et exulcerantium medicamentorum habita est mentio, ponemus, qua stigmata tollantur. Indignis enim multis haec calamitas ex transverso accidit, ut dispensatori Sabini Calvisi naufragio in ergastulo deprehenso, quem Tryphon multis delusum et ne casu quidem ullo litteras confusas habentem medicamento liberavit: Alii candidi spicae capitis tritae cum cantharidibus viginti Alexandrinis — sunt autem variae et oblongae — sulphuris vivi p. X I et victoriati, chalcitis p. X I S, cerae pondo triens, olei pondo triens; ceram contritis ceteris admiscuit et inposuit.

4 mulsa *Stephanus.* 6 pilorum adversus naturam *scripsi*: adv. nat. pilorum *R.* 9 faeculae *Aldus*: ferulae *R.* 11 culinarii] coactiliarii *Rhod.* habeant *Stephanus.* 19 tollantur *Boettiger*: tolluntur *R.* 20 Indignis enim multis haec *Boettiger*: in dignis et in multis. Haec *R.* 21 Calvisi *Rhod.*: Calvi *R.* naufrago *Pignorius.* 23 ullo *ante* medicamento *colloc. R*, *transposuit C. Barthius.* medicamento habentem *R*, *transposuit idem.* 24 Allii *R.* 26 p. X I S *scripsi*: X p. as semis *R.* 27 contritis *ego*: cum tritis *R.*

CCXXXII. Intestinum extremum quibus prolabitur et excidit, quotiens prodierit, totiens vino calido vel verbenis vel cinere lixiva lavare oportet et reponere. Prodest et pice liquida perunguere et cedria, interdum vel Andronio perunguere et sic reponere. Facit et cinis ex sarmentis cribrata aspersa, alumen fissum tritum bene et eodem modo aspersum atque intestino reposito.

CCXXXIII. Ad testiculi tumorem cupressus bacae ex vino coctae conveniunt et faba quasi concha multo cum cumino cocta. Item uva passa cum cumino contusa in modum malagmatis melle quantum satis est admixto, item uva passa enucleata contusa ac mixta * eiusdem mensurae vel ponderis.

CCXXXIIII. Ad veretri tumorem lens ex aqua cocta et trita rosaceo oleo mixta prodest. Si maior tumor erit, mali granati corium ex aqua coctum et tritum lenticulae pari pondere admiscere oportet.

CCXXXV. Si ulcus sordidum erit aut cancer temptaverit aut iam occupaverit, Andronium ex vino bene facit. Si cicatrix ducenda . . .

CCXXXVI. Omne ulcus in omni parte corporis sordidum — id autem est, cum candicat et quasi crustam perductam albam habet — purgat vel per se iris arida contusa vel cum melle; eadem ratione et terrae mali et panacis radix purgat sordida ulcera.

CCXXXVII. Mirifice et hoc medicamentum purgat,

2 quotiens — totiens *M*: quoties — toties *R*. 3 lavari *R*, *corr.* *Rhod.* 4 vel] *an* et? 5 sic *M*: sicca *R*. 7 atque ita *Rhod.* 8 cupressi *M*. 9 et *M*: ex *R*. conchis *Rhod.* concicula *M*. 11 item *Rhod.*: idem *R*. 12 enucleata *Rhod.*: nucleata *R*. mixta] *lacunam statui*; *possis suspicari*: mixta cum coriandro *coll. Plin. nat. hist.* 23, 16: testium inflammationi cum farina cumini aut coriandri inponuntur uvae passae. 18 temptaverit — occupaverit *M*: tentarit — occuparit *Rhod.* tentavit — occupavit *R*. 19 Andronium *Rhod.*: Andronios *R*. 20 Si cicatrix] *Compositionem intercidisse censuit Ruellius; sed fortasse haec vocabula e lemmate orta delenda sunt.* 23 vel *Rhod.*: mel *R*.

etiam si cancer temptat; est autem lene: Auripigmenti, quod Graeci ἀρσενικὸν dicunt, p. X VI, aeris squamae p. X III, elaterii p. X I, chartae conbustae cineris p. X III. Cum opus est, coclearia tria rosae cyatho permiscentur, inde linteola carpta continguntur atque ita ulceri superponuntur. Hoc medicamentum cito et sine ullo morsu expurgat sordidissima ulcera.

CCXXXVIII. Omne purum ulcus et concavum replet basilice rosa diluta, ut superius dixi, proprie autem hoc medicamentum: Medullae vitulinae p. X IIII, adipis anserini p. X II, butyri p. X II, medullae cervinae p. X II, cerae p. X IIII, terebinthinae p. X II, mellis pondo sescuncia, rosae pondo sescuncia. Resina cum rosa liquescit, cui miscentur calenti mel et cera; cum cera praecalfacta in ferventi aqua contunduntur atque ita superioribus miscentur.

CCXXXVIIII. Omne ulcus luxurians et crescens carne compescit chalcitis per se trita vel aeris flos ustus. Bene autem et proprie hoc medicamentum facit, quo Meges utebatur: Calcis vivae p. X II, turis p. X I, aeris squamae p. X I.

CCXL. Tryphon chirurgus carnem eminentem hoc medicamento compescebat: Aeris floris usti p. X VI, chalcitis ustae p. X IIII, misys usti p. X IIII, aeris usti p. X IIII. Hoc acre est et quasi cauterium crustam altam facit; quamobrem cancer non patitur inpositum serpere, omnem eruptionem sanguinis veluti cauterium sistit. Et hoc autem et quae diximus imminuit; cicatricem quoque ducit, si quis tincto extractoque specillo, quod ei quasi pulvis adhaeserit, exiguo oras ulceris tetigerit. Sed proprie cicatricem medicamenta haec ducunt:

CCXLI. Emplastrum efficax ad cicatricem ducendam: Spumae argenteae p. X L, misy usti, chalcitis ustae, alu-

1 et iam *R.* lene *M*: leve *R.* 3 cineris *M*: cinis *R.* 9 superius] *c.* 210. proprie *Rhod.*: prope *R.* 12 mellis X p. sescuncia, rosae X p. sescuncia *R.* 14 cum cera] *an* tum cetera? 22 Triphon *R.* 24 mysis *R.* 33 mysii *R.*

minis fissi, cerussae, singulorum p. X IIII, resinae terebinthinae p. X XII, cerae p. X V. Cera et resina liquefiunt, deinde cum refrixerunt, raduntur; sicca et bene trita adiciuntur et commiscentur.

CCXLII. Emplastrum διὰ καδμίας Graeci dicunt, quod cicatricem ducit: Cadmiae pondo libra, chalcitidis ustae pondo libra. Haec teruntur ex vini Falerni heminis tribus, donec liquefacta mellis habeant spissitudinem. Postea fit ceratum ex cerae pondo quattuor, resinae frictae pondo quattuor, olei murtei pondo quattuor. Cum refrigeratum est, raditur et miscetur iis, quae in mortario sunt. Sunt qui liquefacta haec ipsa, dum calent, mortario superfundunt et ita subigunt.

CCXLIII. Ad papulas in capite effervescentes vel qualibet parte corporis totius porriginem: Staphis agria trita et nitrum decoctum tritum pari mensura, inmixto oleo et vino austero, ante desudationem corporis ac postea; item alumen liquidum ex aceto staphide agria adiecta. Ad epiphoram vero toto corpore effervescentem medicamentum prodest.

CCXLIIII. Ad ignem sacrum coriandrum per se tritum bene facit, est enim res virosa, vel cum pane; eodem modo et menta prodest et cinis de filice facta aqua conspersa oblinita. Item Cimolia creta suco solani diluta. Et per se solanum vel cum pane prodest.

CCXLV. Ad ignem sacrum bene facit hoc medicamentum: Rutae viridis pondo triens, spumae argenti pondo bes, aceti sextarius unus, olei viridis sextarius ⟨unus⟩. Cum aceti parte [in] spuma et ruta teruntur, donec levia fiant; postea quod superest aceti vicibus cum oleo adicitur.

CCXLVI. Facit et hoc medicamentum bene: Sulphuris vivi, opii, singulorum pondo semuncia, spumae argenteae

11 iis *scripsi*: his *R.* 15 porriginem *vocabulum quod in indice non est in suspicionem vocavit Rhod.* 16 inmixto *ego*: in mixto *R.* 20 *post* prodest *compositio intercidisse videtur.* 26 *Haec compositio in R capitulum superius antecedit; verum ordinem restituit Rhod.* 28 unus *addidi.* 29 in *om. M.*

pondo uncia passo miscentur. Item hoc satis prodest: Cerussae p. X VIII, aluminis fissi p. X III, turis p. X III, croci p. X II, sulphuris vivi p. X II. Teruntur haec solani suco; cum opus est, vino diluuntur.

CCXLVII. Ad zonam, quam Graeci ἕρπητα dicunt, faciunt quidem [ut] supra dicta omnia, praecipue cicuta viridis bene trita et inposita. Item hoc medicamentum: Cerussae p. X XXXVIII, aluminis fissi p. X XII, croci p. X I, turis p. X II, acaciae p. X VIII, diphrygis p. X II, opii p. X II. Ex aqua teritur et cum opus est, ex eadem dilutum perunguitur.

CCXLVIII. Ad idem melius facit: Gallae, aluminis rotundi, chalcitidis, cretae sutoriae, singulorum p. X II, misyis, corticis malorum, acaciae, singulorum p. X IIII, calcis vivae p. X XVI. Mali cortex in aceti sextario uno decoquitur, donec madida fiat, deinde teritur; acacia aceto eodem macerata nocte et die admiscetur et una teritur. Postea cetera adiciuntur et fiunt pastilli; cum opus est, diluuntur aqua.

Ad utrumque autem genus vitii mirifice medicamentum Andronium facit.

CCXLVIIII. Ad impetigines uva taminia, quae sic dicitur, bene facit; est autem ruberrima et in vepribus nascitur. Qua fricari oportet impetiginem, quoad curetur et non appareat; hoc autem diebus fit paucis. Bene facit huius radicis recentis sucus ad sugillationes et livores perunctus.

CCL. Scabiem tollit sulphur nigrum oleo mixtum communi atque in cerati spissitudinem redactum. Hoc etiam lepram et quam elephantiam dicunt sanat et omnia quae effervescunt per se, cum inveteraverint.

CCLI. Ad scabiem halica ex aceto macerata et trita bene facit exiguo ture adiecto. Item picis liquidae libra,

6 ut *delev. Rhod.* 11 perungitur *Stephanus*: perungetur *R.* 14 mysus *R.* 21 Andronicum *R.* 22 taminia *Turnebus*: aminea *R.*

cerae pondo semis, sulphuris vivi pondo sextans, aluminis fissi p. X I.

CCLII. Bene facit olivae Aethiopicae commi, quod Graeci *ἐλαίας Αἰθιοπικῆς δάκρυον* vocant, aceto dilutum. Item salicis libri ex aceto cocti atque ita triti et inpositi tollunt scabiem. Facit et eiusdem cinis ex aceto ad scabiem. Prodest et farina hordeacia cocta ex posca, si tenerum corpus erit, vel ex aceto, si durum, per dies quattuor aut quinque; deinde ceratum ex rosa adiecta cerussa inponere oportet, donec cicatrix ducatur.

CCLIII. Facit bene et haec conpositio: Turis masculi pondo triens, sulphuris pondo uncia, ceparum pondo sextans, rumicis erraticae radicis aceto quoque tritae pondo — I. Omnia teruntur, miscetur aceti quod satis erit, id est dum mellis crassi habeat spissitudinem. Cum opus est, scabiei locus nitro ex aceto fricatur diutius et pressius, deinde hoc medicamentum superlinitur.

CCLIIII. Alia conpositio ad idem: Scamoniae p. X III, murrae p. X I, aeris floris p. X I, astulae regiae, quam *ἀσφόδελον* Graeci dicunt, radicis p. X II, glutinis taurini p. X II, nitri p. X I et victoriati. Teruntur omnia aceto praeter gluten: hoc enim pridie maceratum ceteris iam tritis miscetur. Cum opus autem est, ante nitro et aceto locus exasperatur, deinde hoc oblinitur.

Ut consummetur liber, malagmata et acopa adiciemus.

CCLV. Malagma ad *ὀπισθότονον*, id est cum cervix reflexa est in posteriorem partem aut rigida cum intensione oculorum et maxillarum. Facit et ad *κυνικὸν σπασμόν*, cum in utramlibet partem depravata est facies; item ad omnem tensionem et contractionem nervorum et ligationem, *ἀγκύλην* quod Graeci vocant; item ad dolorem omnis partis quamvis veterem: Bdellii p. X XVI, opopanacis p. X VIII, galbani p. X VIII, adipis vitulini p. X

4 graece *R.* 7 ordeacea *R.* 13 radicis *scripsi*: radices *R.* 14 aceti *scripsi*: aceto *R.* 16 locus *huc transposuit Rhod., post* aceto *colloc. R.* 29 item *ego*: idem *R.*

XVI, piperis grana numero CLX, ammoniaci guttae p. X VIII, cachryos p. X VIII, iris p. X XVI, cerae p. X LV, terebinthinae p. X L. Arida quae sunt contunduntur, cribrantur; sucum habentia cum resina subinde admixta contunduntur; cera in frusta concisa aqua ferventi demittitur et subacta manibus miscetur ceteris in pilam. Oportet autem pilum ligneum frequenter cypreo oleo perunguere. Hoc malagma cypreo oleo liquefactum acopi usum praestat.

CCLVI. Malagma alterum stomachum, alvum, intestina soluta habentibus et cholericis prodest; confirmat omnem partem et adstringit, quod haec desiderat: Aluminis fissi p. X VI, rhus Syriaci p. X VI, gallae p. X VI, acaciae p. X VI, cerae p. X XL, picis Spanae p. X XL, olei melini aut rosae pondo trientem. Acacia vino exiguo macerata teritur, cera et pix oleo alterutro mixta infervescunt; quibus temperatis adiciuntur cribrata sicca; iis acacia miscetur atque in unum omnia subiguntur.

CCLVII. Malagma ⟨ad⟩ pectoris et lateris dolorem et quidquid ex perfrictione est, bene ⟨enim⟩ calfacit; idem ad omnem dolorem prodest: Samsuci contusi sextarius unus, iris contusae sextarii XV, cyperi contusi sextarius unus, resinae terebinthinae pondo bes, cerae pondo quadrans, olei cyprei pondo selibra, vini Aminei sextarius unus. In vino arida contusa macerantur una nocte et die; oleo cera et resina liquefiunt; deinde superfunduntur vino, miscentur manibus. Hoc medicamentum efficacius est secundo, post dies triginta efficacius prodest: initio enim humidum valde est et vix inlitum remanet.

CCLVIII. Malagma ad omnem dolorem, praecipue

5 confunduntur *Rhod.* demittitur *scripsi*: dimittitur *R.* 10 alterum quod *Stephanus.* 12 quod *Stephanus*: quae *R.* 13 rus *R.* 16 cera *Aldus*: caetera *R.* 19 ad *addidi e M.* 20 enim *addidi e M.* 21 samsuci *L*: sansuci *R.* 24 cyprei *Rhod.*: cyprini *M* cyperi *R.* aminei *Rhod.* aminiaei *R* amminei *L.* 27 *verba* efficacius est secundo *a M omissa delenda videntur.* 29 inlitum vix *Rhod.*

iocineris: Spicae nardi p. 𐆖 V, Celticae, id est saliuncae p. 𐆖 X, iris p. 𐆖 VIII, meliloti, quod a nobis sertula Campana dicitur, p. 𐆖 XXV, cyperi p. 𐆖 VIII, ammoniaci thymiamatis p. 𐆖 VIII, cardamomi p. 𐆖 VII, croci p. 𐆖 II, vini Falerni sextarius unus. In hoc omnia supra scripta contusa uno die et nocte macerantur praeter ammoniacum: hoc enim aceto diluere oportet et quasi ceratum facere; postea cerae pondo dua et bes, resinae frictae pondo quattuor, rosae·pondo libra liquefiunt et refrigerata atque rasa ceteris miscentur. Hoc et ad praecordiorum tensionem bene facit et ⟨ad⟩ vesicae dolorem.

CCLVIIII. Malagma ad lienosos et ad iocineris dolorem: Ammoniaci guttae pondo I, cerae pondo I et sextans. Ammoniacum ex aceto teritur admixto crocomagmate, quantum colorare possit ammoniacum, quod teritur, usque dum leve factum mellis crassi habeat spissitudinem. Postea cera liquefacta rosa adicitur mortario et bene pistillo mixta manibus utraque subiguntur. Facit hoc malagma ad luxum et ad capitis dolorem fronti superpositum.

CCLX. Malagma ad praecordiorum tensionem, ventris, stomachi duritiem cum dolore; idem ad iecur et lienem prodest: Cerae p. 𐆖 L, ammoniaci guttae p. 𐆖 L, iris p. 𐆖 XXV, panacis p. 𐆖 XX, anesi p. 𐆖 XXV, nitri p. 𐆖 XXV, adipis taurini p. 𐆖 XXV, faeni graeci seminis p. 𐆖 XXV, resinae terebinthinae p. 𐆖 L, aceti acris sextarius unus, mellis pondo triens. Mel aceto diluendum est atque arida omnia his maceranda die ac nocte; ceram, terebinthinam, adipem liquefactam in unum ceteris miscere oportet et manibus subigere.

CCLXI. Malagma ad lienosos: Myrobalani p. 𐆖 L, aphronitri p. 𐆖 XXX, capparis radicis p. 𐆖 XX, cardamomi p. 𐆖 XXV, ammoniaci guttae p. 𐆖 XXX, cerae pondo selibra, irini olei pondo selibra. Cera irino solvitur, quibus

2 melliloti *R.* 8 et bes *ego*: bes et *R.* 9 liquefiunt *M*: levia sunt *R.* 10 atque rasa *M*: quae rosae et *R.* 11 ad *add. M.* 13 et sextans] rosae pondo I *M.* 17 pistillo *M*: pastillo *R.* 21 item *Aldus.* 23 opopanacis *M.* 24 faenograeci *L.*

ammoniacum aceto dilutum miscetur et postea arida quae sunt commiscentur.

CCLXII. Malagma ad omnem dolorem veterem ex qualibet causa factum, praecipue ad lumborum dolorem, qui ante leniter scarifiant. Recipit haec: Bdellii pondo trientem, styracis pondo trientem, hysopi pondo trientem, ammoniaci pondo trientem, piperis albi pondo trientem, turis pondo trientem, bacae lauri aridae pondo dua, terebinthinae pondo trientem, opopanacis pondo trientem, adipis taurini pondo trientem, medullae cervinae pondo trientem, propolis pondo selibram, olei veteris pondo libram, cerae pondo duo, turis pollinis pondo libram. Oleum, cera, resina, propolis liquefiunt, deinde turis pollinis pondus superius dictum adicitur et cetera minutatim vel in unum contusa; opopanacem oleo diluere oportet.

CCLXIII. Malagma quod discutit strumas, parotidas, panum, quod Graeci φύγεθλον vocant; idem omnem futuram suppurationem dissipat, factam aperit; facit et ad dolorem articulamentorum vel cuiuslibet partis, praecipue ad lumborum dolorem atque inflationem stomachi vel coli: Picis Hispanae, aphronitri, resinae pituinae, cerae, laurus bacarum, singulorum p. X̶ XXXV, adipis taurini p. X̶ XV, ammoniaci guttae p. X̶ ⟨XV⟩, iris Illyricae p. X̶ XV, galbani p. X̶ XII, piperis albi p. X̶ XV. Quae debent liquefieri, solvuntur igne et oleo; cetera contusa temperatis asperguntur, ultimo loco tepente medicamento laurus bacae miscentur.

CCLXIIII. Malagma ad omnem dolorem corporis, ⟨praecipue⟩ articulamentorum, facit et ad podagram; idem discutit vomicas aut aperit, praecipue in pectore et interaneis; prodest et lumborum doloribus: Cerae p. X̶ VIII, ammoniaci p. X̶ X, bdellii p. X̶ X, iris p. X̶ VI, galbani

3 ex *M*: et *R*. 5 *verba* qui ante leniter scarifiant *om. M*, *ab interprete addita esse censet Rhod.* 6 hysopi *RL*: oesypi *Cornarius.* 13 pondus *M*: pondo *R*. 21 lauri *M*. 23 XV *addidi ex M.* 29 praecipue *addidi ex M.* articulamentorum *M et R in indice*: articulorum *R in textu.*

p. X III, terebinthinae p. X V. Contunduntur ordine, quo scripta sunt, pilo ligneo cyprino oleo, quod in imo subsidit, peruncto; cera in aquam ferventem in minimas partes concisa demittitur et subacta manibus in pilam conicitur.

CCLXV. Malagma item ad contusionem lateris; idem facit ad suspectas vomicas aut iam factas; praeterea ad iecinoris, praecordiorum duritiam vel dolorem bene facit. Proderit et in omni loco dolenti inpositum: Cyperi, ammoniaci guttae, cardamomi, bdellii, turis, resinae terebinthinae, singulorum pondo bes. Tus et bdellium macerantur pridie vini hemina una, cetera contunduntur; cerae pondo libra et triens et olei cyprini sextarius unus cum terebinthina liquefiunt ceterisque commiscentur. Quidam adiciunt murrae pondo sextantem, croci pondo sextantem, cinnamomi pondo sextantem.

